SANCTA
PAUPERTAS,

ligioſorum propria ſine proprio,
᾿ropugnata, quæ mandata in
S.Urbanis Conſtitutionibus à
SS. DN. N.

. URBANO VIII.

Pontifice Maximo
. Minoribus S. FRANCISCI
onventualibus: è tenebris in obſer-
vantiæ ad lucem obſervantiæ prodiens
voto, prece, ac deſiderio

ANTONII WISSINGH
Siegburgo, Artium & SS. Theologiæ
ctoris in Alma Univerſitate Trevirenſi, Pro-
cia Colonienſis de Tribus SS. Regibus, dicti
Ordinis FFr. Minorum S. Franciſci Con-
ventualium Miniſtri Provincialis,
Auctoritate Apoſtolicâ in Officio ad
triennium confirmati, ac Com-
miſſarii Generalis.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis Viduæ PETRI ALSTORFF.
M. DCC.

Digitized by Google

Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Dom
noſtri JESU CHRISTI; per quem mihi mu
dus crucifixus eſt, & ego mundo. *Gal.6,14.*



S. Franciſcus Seraphicus
Fundator Ordin. Minorum

S.P.N. Franciſcus Fratres ſuos ſic alloquitur:
Paupertatem noveritis Fratres ſpecialem eſſe viam
ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, perfecti-
oniſque radicem: cujus eſt fructus multiplex, ſed
occultus. Ad cujus culmen qui cupit attingere,
nudum ſe offerat brachiis Crucifixi. *S.Bo-
nav. c.7. vita S.P.N. Franciſci, §.1.*

Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo

Principi, ac Domino D. Leandro Colloredo, S.R.E. Cardinali Ampliſſimo, Pœnitentiario majori, ac totius Seraphici Ordinis Minorum Conventualium S.Franciſci Protectori inclyto, Domino Patrono clementiſſimo &c.

Eminentiſſime, ac Reverendiſſime Domine.

N*Unc tertia vice properat ad* Eminentiam Tuam, *pro Grege ſuo ſupplex* Seraphicus P.N.S. FRANCISCUS; *quia novit & gaudet E.T. ſuæ Religionis Protectorem eſſe pientiſſimum, ac zeloſiſſimum. Venit autem gemebundus tam ſuper Crucifixi JESU CHRISTI doloribus, quàm ſuper tam exceſſiva, tamquè amabiliter voluntaria paupertate ejus. Juxta quod dicit de eo Seraphicus Doctor c.7. vitæ ejus* § 1. Franciſcus vir Sanctus Chriſti JESU paupertatem & Matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem. *h. i. Dolet autem inſuper ſuper neglectu hujus in Chriſto ſanctificatæ paupertatis, quem videt, prô dolor! inter aliquos Fratrum ſuorum, immo inter illos, qui jactitant ſe eſſe tanti Patris Filios, cùm tamen nolint habere Matrem, quam ille tantopere adamavit, ut in Sponſam & Dominam adoptârit* (Hanc altiſſimam paupertatem Filio Dei Vir Sanctus familiarem attendens, & jam

jam quaſi toto orbe repulſam charitate ſic ſtuduit deſponſare perpetua, &c. *lc.* §. 1.) *Meritò adhuc ploraret, ſi poſſet, ſi viveret, videns margaritam hanc evangelicam ab aliquibus Profeſſoribus ejus non tantùm incultam neglectam; ſed obſcuratam, ſed obtritam, ſed luto obductam, ferè dixiſſem, in ſterquilinio ſepultam, ab iis, dico, qui neſciunt pretium ejus, qui negligunt votum illius; proinde dicunt, prout ſentiunt, cum Seneca gentiliter*: Paupertas eſt odibile bonum.

Plorat nunc æquiùs, quàm olim S. Pater noſter ſuper facilitate gloſſarum inconcinnarum, quibus dum Filij S. Matris Paupertatis *frontem tamquam rugis obducunt, ſeipſos coram Deo & mundo viles & inglorios reddunt. Sed hæ juſtæ lacrymæ, quæ olim erant in maxillis Seraphici Patris, nunc ſunt in cordibus filiorum ejus, quorum urunt oſſa, angunt ſtudia, accendunt vota, ſuſpendunt deſideria; dum vident à voti conſortibus, & à profeſſionis ejuſdem comparibus margaritam hanc evangelicam luto reinjici, quam tamen ipſi concupierant lutò abſtersò nitidam & immaculatam tueri. Sed quid mirum hoc? dum enim exulare cepit* S. P. N. Franciſci *pia ſimplicitas, ſubintravit hæc noxia vanitas, hæc odioſa duplicitas, hæc ingrata Deo ſubtilitas; quâ nimis ſapere volentes interpretantur S. Urbanas Conſtitutiones juxta ſuum affectum, non ad legislatoris mentem, ac finem: quâ inſuper conantur (ut loquar cum Reverendiſſimo P. Generali* Felice Franceſchino *in præfat. 2. ad Conſtitut. Urban.*) aliqui diſſenſionis filii ſub ſpecioſo zeli prætextu contra eaſdem

Con-

Conſtitutiones (*maximè ubi de cura paupertatis agitur*) obrepere, ipſarumque obſervantiam, legitimamque publicationem (*addo, & intelligentiam*) vocare in dubium, nosque etiam lacerare ſermonibus, ac Religioſos ad abjiciendum obedientiæ, ac infringendum obſervantiæ jugum auſi ſunt incitare. *h. i. Exinde* depravatæ diſciplinæ damna (*ait idem in præfat.* 1. *ad eaſdem*) non minùs frequentiora ſunt in clauſtris, quàm in aulis. *Exinde quorumdam Religioſorum in incautè recipiendâ, retinendâ, expendendâ pecunia noxia* libertas illa (*prô dolor*) quæ ſpecioſo vocabulo imperitorum aures demulcet, quæ diaboli tyrannis eſt. *h. i. Immo* (*ut ajebat S. P. N. Franciſcus c. 7. vitæ §.* 5. Pecunia ſervis Dei nihil aliud eſt, quàm diabolus, & coluber venenoſus. *h. i.*

Cum hujuscemodi planctu, S. Franciſci *ſoboles confidenter pulſat ad aures & Cor* Clementiæ *&* Eminentiæ Tuæ, *aliorumque Eminentiſſ. ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, ut à Veſtris Eminentiis, qui eſtis Principalia S. Eccleſiæ ſidera, ac diſciplinæ regularis reſtituendæ, ac ſartæ tectæ conſervandæ vigilantiſſimi Prælati, nobis affulgeant radii veri ſensûs, ac luminis, ad ſanam intelligentiam S. Conſtitutionum Urbanarum, ne in* religioſæ ſanctæ Paupertatis *arcta ſemita turpiter erremus, ne ex uno abſurdo in abſurda plura relabamur, ne in invia & devia priſtina cancrino greſſu regrediamur. Quod ne umquam accidat nobis, ab* Eminentia Tua, *Protector Clementiſſime audire cupimus, & in effectu ſperamus, quod ſenſit qui dixit* (*Philipp.* 1.25. *& ſeq.*) Maneo, &

 per-

permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei (*addam, & ſancta obſervantiæ*) & in nullo terreamini ab adverſariis, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo. *h. i.*

Hac ſpe animoſior factus, cum patienti longanimitate, pro mea, meorumque Confratrum conſcientiis tranquillandis, & in ſecuritate conſolidandis, deſidero humillimè conſummatum Eminentiæ Tuæ *judicium, & ſenſum circa ſenſum S. Conſtit. Urbanarum in materia* Paupertatis religioſæ, *quæ in hoc ſcripto adducitur, & propugnatur* (*in quo ſi erretur, obſervantia imputetur; qui error facilè corrigitur, dum intelligitur.*) *Ego & Fratres mei de legitima S. Conſtit. Urbanarum obſervantia bene ſentientes ab* Eminentia Tua, *ceteriſque Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis S. R. E. Cardinalibus illuminari, erudiri, ac duci humiliter ac reverenter concupiſcimus: Sicut enim* Eminentia Tua *ad Neo-obſervantiæ noſtræ nobis fuit quaſi primum movens, ac principale excitans, ſic erit quoque, ſecundùm vota noſtra, quaſi ultimum finiens, conſervans, ac protegens, maximè ſub Tanti Pontificis Sanctiſſimi Domini N. D. INNOCENTII Papæ XII. piiſſimo paternoque zelo, ac faventiſſima huic cauſæ Dei gubernatione* (*idque eò certiori cum fiducia, quòd jam altefata* Sanctitas ſua *expreſsè mandârit, & ſignificârit Reverendiſſimo P. N. Generali, mentem ſuam eſſe ac voluntatem, prout conſtat* Eminentiæ Veſtræ, *ut Fratres Ordinis noſtri exactè ſervarent S. Conſtitutiones Urbanas; quidni & exactè ſervarent*

Pau-

Paupertatem religioſam *prout præceptam in Conſtit. Urbanis, urbanitate ſanè maxima & indulgentia modificatam?)* *Hujus itaque* Sanctiſſimi Pontificis *feliciſſima in ſeros annos unicè deſideramus continuanda gubernacula, ut per ejus ſummam auctoritatem, mediante* Eminentiæ Tuæ *patrocinali intercessione, & protectione, tandem videre poſſimus Religionem noſtram in* ſancta religioſa Paupertate, *optata communitate, ac perfecta unitate refloreſcentem, ſtabilitamque, ac, quòd* Seraphicus Ordo *ſit, jure ſibi arrogantem. Cui* Sanctiſſimo Præſuli *ac* Eccleſiæ Capiti *ſicut obedientiam ac reverentiam promiſimus, ſic & in effectu profitebimur, ſicut obligatiſſimi, ſic & paratiſſimi ad captivandum & ſubjiciendum tam zelum, quàm intellectum, ne hic plùs ſapiat, ille plus juſto urgeat. Hanc noſtram obedientiam ac reverentiam, debitamque gratitudinem ad S. Summam Sedem,* Eminentiæ Tuæ *fidei conſignamus omnes. Inter quos ego plus reliquis obligatus, perenniter maneo, cum reverentiſſimo Reverendiſſimarum manuum oſculo,*

Eminentiſſimæ, ac Reverendiſſimæ Celſitudinis Tuæ

Infimus, devotiſſimusque Cliens, ac Servus obedientiſſimus

Fr. Antonius Wiſſingh
Mnr. Prov.

Cor unum, & Anima una
Patribus, ac Fratribus.

✠

PAtres, ac Fratres deſideratiſſimi, hinc & dilectiſſimi! Apoſtolicis vos alloquor verbis, ſed magis cordis affectibus (*Philipp.* 1. 8.) Teſtis mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus JESU CHRISTI. *Hinc iterato hoc ſcripto ſaluto vos*, & hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu, *ſenſum proinde verum S. Conſtitutionum Urbanarum ſalutari indagine inquirere ſaltem conemini: nam ſenſus rectus, ſcientia ſalutaris, Deoque placens* ſapientia facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam. Cogitare ergo de illa ſenſus eſt conſummatus: & qui vigilaverit propter illam, citò ſecurus erit. *h. i.* (*ſap.* 6. 13. *& ſeq.*)

A Summo Paſtore mihi dictum arbitror: confirma fratres tuos, *Luc.* 22. 32. (*licèt confirmatione ipſe indigeam.*) *Et meritò cura hæc me dormitare non ſinit, dum video plures vacillantes, titubantes, ac inter terminos à* quo, *&* ad quem *fluctuantes. Qui autem* ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior (1. *Tim.* 5. 8.) *Satagam ergo, ut fidem ſervem tam meo miniſterio quàm vobis, qui-*

bus

bus ſummè obligatus ſum ; ne & idem Summus Paſtor tandem rationem exacturus de commiſſo mihi Grege dicat olim : Ubi eſt Grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum ? (*Jerem.* 13. 20.) *Dum ergo pro Lege, & Grege ſtare ſatago, facio id, quod facere jubet Provincialibus Miniſtris, zeloſiſſimus ac Reverendiſſimus P. N. Generalis.* Felix Franceschinus *in præfat.* 1. *ad Conſtit. Urbanas, dum inquit :* Labia veſtra cuſtodire debent ſapientiam, ex quorum ore legem Domini exquirit plebs. Si quis autem ipſius honoris blanditiis allectus, & inimici hominis inſidiis deceptus, ſuo oneri ſecurus indormiat, facilè de manu ejus lex Domini decidere poteſt. Cavete, ne hæ ſocordiæ damna umquam nobis exprobrari poſſint. Accuratas igitur excubias agite, ad S. Vineæ cuſtodiam collocati: vocis increpatione arcete nocturni furis inſidias &c. Qui oſcitantes Fratrum incolumitatem negligunt, noxiâ indulgentiâ peſtilentem morbum alunt, qui non facili negotio inde curetur. *h. i.*

Hoc ipſum eſt, Confratres chariſſimi, quod me ſemper angit, & ideo oſcitare non ſinit, ſcilicet ratio Supremo Judici reddenda pro mea, ac veſtris animabus, pro neglectu inſuper Regulæ, & S. Conſtitut. noſtrarum Urbanarum, urbanitate maxima diſcretarum. Quod ipſum non oſcitanter Corde revolvens S. Doctor Angelicus in illud Hebr. 13. 17. quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, *inquit :* hoc eſt maximum periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit. *h. i. Idipſum mihi, aliisque Mini-*

ſtris Provincialibus inculcat Reverendiſſimus P. Generalis lc. in fine dum inquit: Superiores verò Ordinis noſtri cujuſcumque gradûs monemus, eisque in virtute obedientiæ ſtrictè mandamus, ut, poſtquam apud illos præſentes Conſtitutiones (*Urbanæ*) publicatæ fuerint, in id ſedulò incumbant, ut ab omnibus obſerventur. Sciantque, ſemel ipſos de ſubditorum in-obſervantia, ac contumacia, & Deum, & nos rigidam ab ipſis exacturos rationem. *h. i.*

Hujus reddendæ rationis rigorem meritò pertimeſcens, & verbo, & calamo, & quantum poſſum, exemplo, vos Fratres dilectiſſimi, adhortor, & obſecro in Domino N. JESU Chriſto. A quibus ſi, præter ſpem meam, vacuum redeat verbum meũ, ſi minùs acceptus repercutiatur calamus meus, conſolabor ipſe me verbis S. Ambroſij ſerm. 83. Ego interdum parcens vobis, tacere vellem: ſed malo vos contumaciæ cauſas reddere, quàm negligentiæ ſuſtinere judicium. *h. i.* Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur *h. i.* (*Hebr. 6. 9.*) *Nam ſuppono vos ipſos quoque eſſe* eruditos corde in ſapientia (*Pſ. 89. 12.*) *à quibus proinde ſpero non tantùm facilem auditum, ſed fortè etiam adjutorium, ut, quos* adjuvantes adhortamur, *eosdem ad audiendum faciles, & ad faciendum promptos experiamur. Et hæc eſt conſolatio mea, hoc gaudium meum, hæc corona mea, hoc adjutorium meum, ſcilicet obedientia veſtra in Domino; per quam ſicut alleviatur onus meum, ſic augebitur meritum & præmium veſtrum, in quo tandem*

feli-

felicem communionem in cælis habebimus, ſi hic in communitate Deo placita vixerimus, in qua eſt

COR UNUM, ET ANIMA UNA.
Act. 4. 32.

Ad Lectorem Benevolum.

Miraris fortè amice Lector, cur tam ſolicitam pro *Paupertate religioſa* propugnanda geram curam, ut pro ea ſpecialem hanc edam quaſi apologiam? Immò verò magis ſolicitam pro illa, quam pro alia virtute propugnanda. Deſine ſuper hoc mirari, ſi audieris, quòd etiam S. P. N. *Franciſcus* fuerit plurimùm ſolicitus pro illa inviolata conſervanda, utpote quæ Religioſorum Mater & nutrix, Religionumque & fundamentum, & murus eſt (prout fuſiùs expoſui in lib. de S. Communitate.) Hinc S. Bonaventura de S. P. N. *Franciſco* in vita ejus c. 7. §. 1. *nemo tam auri, quàm ipſe cupidus paupertatis: nec theſauri cuſtodiendi ſolicitior ullus, quàm iſte hujus evangelicæ margaritæ.* h. i. & §. 2. lc. Paupertatem *hanc ſui dicebat Ordinis fundamentum: cui ſubſtrato primariè ſic omnis ſtructura Religionis innititur, ut ipſius firmitate firmetur, & everſione funditus evertatur.* h. i. Quod non de quacumque paupertate, ſed de paupertate ſpiritûs, velim, intelligas; de qua lc. c. 1. §. 6. dicitur: *Ser-*

vius Dei Franciſcus induit ex tunc ſpiritum paupertatis. h. i. id eſt, fuit pauper ſpiritali intentione, ſpiritûs deſiderio, cordis affectu, & voluntatis complacentiâ. Hinc juxta S. Bern. Epiſt. 100. *non paupertas virtus reputatur, ſed paupertatis amor.* h. i. Et hæc eſt rara avis inter Religioſos illos, qui ſunt *pauperes* potiùs *ex ſola tolerantia,* quàm *affectûs complacentia.* De quibus idem D. Bern. ſerm. 4. de adventu Domini: *Videmus autem pauperes aliquos, qui ſi veram haberent paupertatem, non adeò puſillanimes efficerentur & triſtes. Sed hi ſunt, qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis deſit: & ſic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.* h. i.

Quòd autem hæc voluntaria paupertas Religioſorum nutrix ſit, id S. P. N. *Franciſcus* comprobavit, dum in ſpiritali teſtamento ſuo *menſam Domini* vocat, ſi quis propter Dominum ex mendicato ſponte vivat. Et ipſe frequenter Fratres ſuos alloqui ſolebat: *Fratres mei, ſi paupertatem fugeritis, homines fugient vos.* q. d. Si votum paupertatis non ritè ſervaveritis, ſed ad peculiaria, & ad loculos privatos vos converteritis, Deus retrahet & ſubtrahet ſupernæ ſuæ benedictionis manũ, à vobisque alienabit, & obdurabit corda hominum benefacere valentium, ne in temporalibus neceſſitatibus opitulentur vobis. Proinde etiam videmus, quòd homines magis proni ſint (Deô interiùs illos permovente) ad eleëmoſynas erogandum iis, qui ſunt voluntariè pauperes, rê egentes, virtute autem divites, quàm aliis, à quibus proinde fugientes retrahunt manum.

In-

Inſuper, quòd paupertas ſit quoque Religionum murus, idipſum clarè expreſſit S. Ignatius Loyola in Summario Conſtit. Societ. JESU § 23. ubi ſic inquit: *Paupertas ut murus Religionis firmus diligenda: & in ſua puritate conſervanda eſt, quantum, divina gratia aſpirante, fieri poterit* h. i. Et ibidem §. 24. *diligant omnes paupertatem, ut Matrem*, h. i. De qua Matre S. P. N. *Franciſcus* dicere ſolebat: Fratres dilectiſſimi conſolamini, nolite diffidere; licèt enim Matrem habeamus valde pauperem, ſcilicet ipſam paupertatem; attamen Patrem habemus valde divitem, ipſum ſcilicet Deum.

Itaque non abs re; nec abſque cauſa urgente (utinam nec abſque fructu) factum puta, hunc quantulumcumque laborem à me fuiſſe ſuſceptum: laboravi enim pro noſtra Matre, ac Nutrice; pro Religionis noſtræ fundamento, & muro: & quis labor æquè pius, aut plus neceſſarius? Vale, & hujus Matris ubera mecum ſuge.

Ad Lectorem Criticum, ſeu Monachum Pecunioſum.

QUoniam prævideo, quòd mox in paucis hiſce pagellis invenies, quod rodas, quod ſuggilles, & taxes; reſpondendo præveniam internas obmurmurationes tuas. Cur, inquis,

quis, tam fuſa præambula, approbationes tam longæ, tam multæ, caput tam magnum corpori tam parvo præmittuntur? nonne hoc monſtrum eſt? *Reſpondeo*: Monachus pecunioſus verè in corpore S. Religionis monſtrum eſt: cui monſtroſo apparent omnia monſtra, inepta, diſplicentia, exceptô ſolô illô, quod ipſe ſapit, quod diligit, quod quærit & approbat.

Ut autem tibi reſpondeam juxta ſapientiam tuam, ſcias, quòd volentibus intelligere, nec hoc corpore, nec hoc capite opus fuiſſet; at nolentibus intelligere, utpote in hoc ipſo monſtroſis oportebat caput majus præmittere, ut ſaltem, dum non poſſunt rodere materiam, roderent formam: &, dum non poſſunt impugnare veritatem, taxarent conſtructionem: Nunc vade, non rode, ſed veritatem inquirere, & diſcere mecum connîtere. De *paupertate religioſa* controverſia erat exilis in materia, ſed gravis in pondere: hinc, niſi pondere auctoritatum præmuniretur, apud te ſemper controverteretur; & niſi condiretur tali antipaſto, non ſaperet tuo palato. Immò intentio mea eſt, ut, quod eſt caput, ſit & corpus: per utrumque enim erudiri poteſt docilis ſimplicitas, ſed numquam veritati inimica ſubtilitas.

Sen-

Sentimentum Theologicum

I. & II.

ATtentè perlegi planam & ſanam informationem, quam hôc compendiatô ſcriptô (S. *Paupertas propugnata* intitulatô) nervosè compoſitô, & in aperta veritate fundatô, dat omnibus intelligere volentibus, & mentem pecuniariæ cupiditatis labe non infectam habentibus Adm. R. & Eximius *P. Antonius Wiſſingh* Ord. FFr. Min. S. Franciſci Conventualium, SS. Theolog. Doctor, ac Provinciæ Colon. de Tribus SS. Regibus jam ſecundò Miniſter Provincialis. Textus inibi citatos cum fontibus inſertis S. Conſtitutionibus Urbanis contuli: & inveni, liquîdam veritatem ab Auctore, pro ſui Ordinis legitima innovatione, ac defenſione propugnari. Proinde ſi quis contra intelligentiam textuum, hìc ſanè explicatorum, & ad omnimodam ſatisfactionem conciliatorum pugnare, aut in dubitationem quidquam ex his trahere voluerit, de illo meritò cum Pſalmiſta dicam: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Pſalm. 35. 4. Optimè fecit, & providè Auctor, præſentando hoc ſcriptum animos habentibus à loculatæ arcæ curis alienatos; quorum nullus aliter judicare poterit, aut ſententiare. Sentiunt namque illi cum S. P. Auguſtino in Breviario, *non eſſe mirum, quòd palato non ſano pœna ſit panis, qui ſano eſt ſuavis: &*

ocu-

oculis ægris odioſa ſit lux, quæ puris eſt amabilis. Ex illorum ergo volens eſſe numero, judico, &c. ut præſens dilucidatum tamquam rectæ menti conforme, publicam per typographum lucem aſpiciat, ſententio. Coloniæ, die 24. Martij, 1700.

Fr. *Cæleſtinus à S. Henrico Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Dei Genitricis ac ſemper Virginis MARIÆ, de Monte Carmelo, per Germaniam inferiorem humilis Prior Provincialis, quondam Ss. Theologiæ Lector. M. P.*

Idem & ego, ſingula attentè expendens, ſentio.

Fr. *Alexander à S. Bertholdo, Adm. R. P. Provincialis Aſſiſtens, olim Ss. Theologiæ Lector, ac Prior. M. P.*

Cenſura Theologica

II.

PRæſens Scriptum (*S. Paupertas propugnata*, intitulatum) ab Adm. Reverendo, & Eximio *P. Antonio Wiſſingh* S. Ordinis P.P. Minorum Conventualium S. Franciſci, Provin-

ciæ

ciæ Colonienſis Provinciali Miniſtro, & Ss. Theologiæ Doctore,non minore ſtudio, quàm zelo pro tuenda obſervantia S. Urbanarum Conſtitutionum (quibus Ordo prædictus jurejurando adſtringitur) elaboratum attentè legi: textus ex antè memoratis Conſtitutionibus productos contuli cum ſuo Autographo: rationes exinde deductas pro merito ponderavi: & in veritate comperi, Authorem illius nedum in referendis textibus fidelem per omnia ſeſe exhibuiſſe, ſed etiam in propugnando eorum ſenſu legitimo doctiſſimum, ac diſcretiſſimum Zelatorem; atque in expugnandis futilibus ratiunculis illorum, qui fortaſſis agnitam veritatem impugnare non verebuntur, ſtrenuum pro Deo, & pro lege Agonòthetam. Quod ut palam fiat omnibus, judico ſcriptum iſtud typi beneficiô poſſe propalari. Dabam Coloniæ in Conventu noſtro SS. Joſephi, & Tereſiæ, die 17. Martij, 1700.

Fr. Lucas à S. Gerardo Carmelita Diſcalceatus, Exprovincialis, Prior Coloniæ, olim Ss. Theologiæ Lector. M. P.

Judicium Theologicum

III.

HOc ſcriptum, (*S. Paupertas propugnata* intitulatum) compoſitum, & ad cenſuram mihi datum ab Adm. Reverendo & Eximio *P. Antonio Wiſſingh*, Ord. FFr. Min. Conv. S. Franciſci, Ss. Theologiæ Doctore, & Provinciæ Colonienſis Miniſtro Provinciali, atque in eodem Provincialatus officio à Sanctiſſimo D. N. INNOCENTIO XII. ob ſummam fidem, prudentiam, charitatem, atque integritatem, quâ illud hactenus geſſit, motu proprio ad aliud triennium confirmatô, attentiſſimè legi: &, quia in eodem reperi, quòd mota à quibuſdam, in pecuniaria doctrina nimis ſapientibus dubia, præſertim contra incorporationem, & confuſionem pecuniarum, ipſis in S. Conſtitutionibus Urbanis ſtrictè præceptam, ex ipſismet Conſtitutionibus fideliter ac ſincerè in hoc ſcripto adductis, ſicut & ex aliorum Summorum Pontificum, Eminentiſſimorum DD. Cardinalium, Sacræ Congregationis, atque præſtantiſſimorum Canoniſtarum declarationibus, & deciſionibus doctè ac ſolidè reſolvat: Eorum inſuper contra legitimum ſenſum dictarum Conſtitutionum malè confictas rationes, atque in alienum detorſiones æquè doctè refutet; Hinc dignum cenſeo, ut per prælum ad

pu-

publicam lucem veniat. Dabam in Carmelo noſtro Colonienſi, die 5. Aprilis, Anno 1700.

Fr. *Stephanus à S. Joanne Evangeliſta Ord. Fratrum B. V. MARIÆ, de Monte Carmelo, Exprovincialis, & Definitor. M. P.*

Cenſura, & Facultas ordinarii.

IV.

Visâ approbatione Theologica, & habitâ coram Nobis maturâ argumentorum diſcuſſione, hanc *Vitæ communis, & paupertatis propugnationem*, Ordinationibus PAPÆ URBANI VIII. & Regulæ Franciſcanæ maximè conformem, ab Eximio *P. Provinciali Antonio Wiſſingh* imprimi concedimus, & ſingularem ex illa diſciplinæ profectum ſperamus. Signatum Coloniæ, die 7. Aprilis, 1700.

Joannes Wernerus de Veyder Vicarius Generalis Colonienſis, & Coadminiſtrator Apoſtolicus. M. P.

Urbanæ Conſtitutiones in Caput Quartum Regulæ FF. Minorum.

Titulus primus.

Textus. *Præcipio firmiter Fratribus, &c.*

Poſt varias controverſias circa Paupertatis votum, à Religionis noſtræ Fratribus obſervandum, placuit Sanctiſſimo Domino noſtro URBANO Papæ VIII. infraſcripto Sacr. Congregat. Apoſtolicæ Viſitationis Decreto ea omnia ſtabilire, quæ pro conſcientiarum ſecuritate ab iiſdemmet noſtris Fratribus circa ejuſdem Paupertatis votum ſervanda ſunt.

De abdicanda Proprietate in particulari.

Decretum Sacræ Congregationis Apoſtolicæ Viſitationis.

AD extirpandum proprietatis vitium, Sacri Concilij Tridentini veſtigiis inhærentes, omnibus Ordinis noſtri Fratribus diſtrictè prohibemus, ne quiſquam eorum bona immobilia, vel

vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, proventus, redditus, cenſus, pecunias, etiam ex eleëmoſynis, concionibus, aliove labore, aut Conſanguineorum ſeu aliorum largitione, etiam intuitu Perſonæ datas, aut aliàs quovis modo ab eis acquiſitas vel acquirendas tamquam propria, aut etiam nomine Conventûs poſſideat, vel teneat, ſed *ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur, & confundantur, prout nos ex nunc ea applicamus, incorporamus, & confundimus, & pro applicatis, incorporatis, & confuſis haberi volumus, & mandamus. Decernentes, Superioribus Bona ſtabilia alicui Ordinis noſtri, etiam ad uſum fructum, vel uſum, adminiſtrationem, ſive commendam concedere non licuiſſe, neque licere, ideóq; omnes & quascumque licentias, facultates & indulta, ſi quæ etiam à Generali Miniſtro quovis modo, vel ex quacumque cauſa contra prædicta conceſſas, ſeu conceſſa, vel quæ in poſterum concedi contigerit, revocamus, & abolemus, & pro revocatis, & abolitis haberi volumus, & in futurum ne concedantur: diſtrictè præcipimus.*

Adminiſtratio autem Bonorum Monaſteriorum, ſeu Conventuum ad ſolos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.

Mobilium verò uſum ita Superiores permittant, ut eorum Supellex ſtatui Paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil tamen, quod ſit neceſſarium, eis denegetur, quorum omnium Regiſtrum Superiores apud ſe habeant, & ſingulis annis revideant; Fratresque ea vendere, donare, aut aliter alienare non valeant;

quòd ſi quis aliter fecerit, vel quid (etiamſi pecunia ſit) tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta noſtras has Conſtitutiones puniatur.

Pecunia verò aliaque res quæcumque Fratrum intra viginti quatuor horas tradantur Superiori, in commune Conventûs ærarium reponenda, triplicique clave cuſtodienda, quarum una penes Guardianum pro tempore exiſtentem, duæ verò aliæ penes duos alios Fratres, ſingulo quoque anno per Conventum eligendos conſerventur, ex quibus ſubminiſtrato exhibitori, quantum religioſæ ejus neceſſitates (ſtatûs valetudinis, laborumque ratione habita) expoſtulare videbuntur: reliquum penes ærarium remaneat: & arbitrio duarum ex tribus partibus Capituli, ſeu Congregationis Provincialis ſingulis annis facienda erogetur. Quod verò à Superiore ipſi traditum fuerit, vel undecumque ad ejus manus pervenerit, *memorato Superiori de eo rationem ad omnem ejus nutum reddere teneatur, ſub pœna contra facientibus privationis activæ, & paſſivæ vocis, per triennium qualibet vice, aliiſque arbitrio Superiorum ipſo facto incurrenda.*

Sacra Congregatio Apoſtolicæ Viſitationis ſuprascriptum Decretum de abdicanda proprietate in particulari, de mandato S.D.N. URBANI Divina Providentia Papa VIII. per plures Seſſiones examinavit, & tandem die Veneris 13. Julij 1627. illud cum omnibus in eo contentis probavit, & inter cæteras Conſtitutiones hujus Religio-

gionis Conventualium inſeri & exequi mandavit. In quorum fidem &c. h. i.

A. Epiſc. Bellicaſtr. Sec.

De Adminiſtratione Bonorum Temporalium

Titulus ſecundus.

Cum igitur nil magis in votis ſit, quàm pro animarum ſalute, & conſcientiæ Fratrum ſecuritate, Decreti iſtius Sanctiſſimi paria & omnimoda obſervantia; nonnulla præſcribere, quæ ad eam inducendam & conſervandam neceſſaria viſa ſunt, æquum duximus. Proindeque (Decreti ipſius Ordinem ſequentes) primò, quæ ad temporalium Conventuum bonorum adminiſtrationem pertinent, ſtatuemus.&c. Hæc omnia verbo tenus ex §. Conſtitut. Urbanis excerpta ſunt.

NB. Hoc Decretum hic præmiſſum eſt baſis certa, ſolidumque & irrefragabile fundamentum omnium quæſtionum, & reſolutionum, quæ circa S. *Paupertatis religioſæ* obſervantiam, ad quam FF. Minores Conventuales obligantur, fieri poſſunt: proinde quidquid huic Decreto conforme & conſonum eſt, verum & rectum eſt; quidquid autem contra hoc Decretum militat, contra S. *Paupertatis religioſæ* obſervantiam pugnat; prout patebit in ſequentibus quæſtionibus, in quibus quædam dubia à peculiariſtis mota, vel ex S. Conſtitutionibus Urbanis eruta deciduntur, & liquidantur.

✠

Quæſtio I.

QUomodo intelligendus ſit textus citati Decreti S. Congreg. Viſitationis Apoſtolicæ, inſerti Conſtitutionibus noſtris Urbanis in c. 4. Reg. tit. 1. ubi de *pecuniis* & aliis bonis quovis modo à Fratribus acquiſitis, vel acquirendis decernitur, & diſtrictè præcipitur: *Sed ſtatim ea ſuperiori tradantur, conventuique incorporentur, & confundantur* &c. h. i. Ante reſponſionem

N. 1. Quamvis illius tantùm ſit, authenticè & magiſterialiter legem interpretari, cujus eſt condere; attamen privata auctoritate illam explicare in favorem ipſiusmet legis, abſque ullo legis præjudicio, cum fundamento non exiguo, ex auctoritate S. Congregat. aliorumque Doctorum deprompto: Item unius textus ſanam intelligentiam ex alio rationabiliter colligere, deducere, & probare, maximè dum neceſſe eſt hìc & nunc operari, aut operanda reſolvere pro ſe & aliis; id poteſt cuilibet Theologo competere, & eò magis ſuperiori requiſito à ſubditis ſuis, cum dependentia tamen ſuæ interpretationis ad primum legislatorem, aut illum, qui præeſt legis interpretatio-

 ni.

ni. Quod magis verum eſt tunc, cùm aliqui ſubditi effugientes obligationem legis, conantur in fraudem legis, ſub prætextu non bono perperàm interpretari illam.

N. 2. Quoniam in cit. Decreto, tamquam particulari Lege pro nobis Fratribus Minoribus Conventualibus editâ decernitur de ac uiſitione particularium pecuniarum, & earumdem conſervatione pro particularibus Fratrum neceſſitatibus, quòd debeant *ſtatim Superiori tradi, conventui incorporari, & confundi*; hinc non nemo pecuniæ plùs avidus movit ex falſa ſuppoſitione controverſiam, an illa *confuſio* debeat eſſe *perfecta, naturalis, & phyſica*, ita ut ſingulæ pecuniæ à particularibus acquiſitæ incorporandæ, in incorporatione actuali & confuſione diſcerni nequeant, à quonam acceptæ vel illatæ, & unam quaſi maſſam conſtituant; vel ſufficiat ad horum verborum ſalvationem ſupra-poſitio, vel juxta-poſitio unius pecuniariæ pixidis, ſeu crumenæ particularis ſupra vel juxta aliam. Hæc ſecunda intelligentia videtur à pecuniæ avidis, & peculia amantibus Religioſis extorta, hinc minùs vero-ſimilis, ſed improbabilis, utpote quæ apertè repugnare videtur menti & textui S. Concil. Trident. S. Congregat. Doctorumque Theologorum. Proinde hac rejectâ,

℞. Conformiter menti S. Congregat. (de qua mox infra) *confuſio* illa ſupponitur, quòd debeat eſſe *phyſica*, & *non merè moralis*, quæ fit per ſolam juris reſignationem in liberam diſpoſitionem Superioris: proinde ſic debet præfatus textus in

cit.

cit. Decreto intelligi in S. Conſtitutionibus noſtris U. banis.

Probatur primò: quia in cit. Decreto poſt ly *incorporentur* mox additur, *& confundantur*, ideo procul dubio, ut ſignificaretur, quòd non ſufficiat qualiſcumque incorporatio, v. g. quæ fieri poſſet per ſolam reſignationem juris, ſeu appropriationis; (nam juxta Ss. Canones, Monachus quidquid acquirit, monaſterio acquirit) ſed requiratur totalis, & perfecta, ſcilicet, ut ſine diſtinctis ciſtulis, aut crumenulis, vel pixidibus, pecuniæ in unum cumulum, ſeu maſſam comportentur, ita ut diſcerni nequeat, an hic illum, alter iſtum nummum comportârit, & intulerit. Unde etiam hæc vox *confundantur* ex vi nominis nil aliud importat, quàm mixtionem ſine diſcrimine ſeu diſcernentia. Proinde quoque extorta, & violenta videtur harum duarum vocum combinatio *confuſio moralis*; nam, ſi ſit *confuſio*, jam eſt multarum rerum quaſi ad invicem mixtio, ut diſcerni nequeant. Hinc verè & concinnè, aptiſſimèque ad propoſitum dixit mihi quidam *Illuſtriſſimus & Reverendiſſ. D. Archi-Epiſcopus*, quòd Secundanus aliquis hos terminos non aliter intelligere, aut interpretari valeat. Et, quia pro intelligentia hujus vocis *confundantur*, Romam ſcribi petij ab aliquo Domino Illuſtriſſimo, ibi quoque reſolutum fuit, quòd intelligentia hujus vocis in ſubjecta materia, & contextu ex ſe ipſa pateat, & in ipſomet cit. Decreto per alias voces adjunctas & repetitas ſatis explicetur, obinde non indigeat ulte-

teriori explicatione. Quòd autem hæc ſit genuina & veriſſima illius explicatio, & intelligentia.

Prob. ſecundò Auctoritate Doctiſſimi Theologi & Canoniſtæ *Hyacinti Donati* Ord. Prædicat. Provincialis utriusque Calabriæ Provinciæ, Tom. 4, in reſolutoria praxi rerum regularium Tract. 15. q. 10. §. 11. ubi explicans textum S. Concilii Trident. Seſſ. 25. de Regularibus c. 2. *ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuiq́; incorporentur &c.* ſic inquit: *quid enim eſt incorporari, niſi confundi, vel miſceri cum aliis bonis monaſterij ſine ullo diſcrimine peculij? nam, quod poſſidetur ſeparatim à communitate conventûs, cenſetur proprium peculium. -- Intentum Concilij fuit extirpare antiquos abuſus, inter quos etiam hic erat, nempe habere peculium dependenter à voluntate Prælati; quem abuſum præcipuè intendit Tridentinum revocare.* h. i.

Prob. tertiò Auctoritate *Clem. VIII.* de quo *Hyacintus* de *Caſal* Capuc. in tract. aureo de paupertate religioſa p. 4. c. 11. ſic inquit: *Docet etiam Clemens VIII. ut pecunia incorporetur, ita debere commiſceri, ut inter pecuniam Sororis Luciæ, & Sororis Urſulinæ nulla appareat diſtinctio.* h. i.

Prob. quartò Auctoritate S. Congregat. Eminentiſſimorum DD. Cardinalium, cujus Decretum datum Archi-Epiſcopo Urbinij refert *Fagnanus* cit. à *Zegnero* in Diſſert. Canon. p. 1. c. 1. §. 14. *Hic enim cùm retuliſſet S. Congregationi, ſe non potuiſſe addûcere moniales cujusdam monaſterij ad ſuſcipiendam exactam vitam communem,*

nem, ideoque illis propoſuiſſe, ut fieret communis arca, cujus clavis penes Abbatiſſam exiſteret, & intùs eam aptarentur tot ſcriniola, quot eſſent moniales, ita ut unaquæque haberet claviculam ſcrinioli ſui, & in eo aſſervaret pecuniam ex laboritio vel aliunde partam, quæ in ipſius tantùm, & non in alterius neceſſitates erogari deberet arbitriô Abbatiſſæ. S. Congregatio hoc temperamentum ludicrum exiſtimavit, ac repugnans Decreto S. Concil. Trident. ac S. Congreg. Apoſtolicæ Viſitationis, quod jubet NB. ut omnia Superiori tradantur, conventuique incorporentur. Ideoque mandavit Archi-Epiſcopo, ut, quamdiu moniales vitam communem non ſuſciperent, interdiceret ipſis receptione puellarum ad habitum & profeſſionem. h. i.

Prob. quintò. In cit. Decreto dicitur de pecunia & aliis: *ex nunc ea applicamus, & pro applicatis haberi volumus.* h. i. quod nihil eſt aliud dicere, quàm: *ex nunc* illa extrahimus ex ſuo priori ſtatu, quem habebant ex parte recipientis, volentis fortè ſic vel aliter applicare. Additur in cit. Decreto: *& pro applicatis haberi volumus,* q. d. illa pecunia *ex nunc* debet haberi pro applicata, ut proinde priorem quaſi indifferentiæ ſtatum amiſerit, & in maſſam bonorum monaſterij tranſierit immerſa.

Prob. ſextò. Intelligentia hujus vocis *confundantur* clarè colligitur ex clara & genuina intelligentia ejuſdem vocis, in alia materia adhibitæ in iiſdem S. Conſtitut. Urban. in c. 8. Reg. tit. 9. §. 5. ubi in electione Miniſtri Generalis, & Provin-

cialis jubetur, ut *Suffragia miſceantur*, *Schedulæ confundantur.* Ubi ly *confundantur* dicit aliquid plus, quàm *miſceantur*, (ne ſit inutilis repetitio ejuſdem vocis) nimirum hoc: Schedulæ ita miſceantur per ſe invicem, ſeu ad invicem, ut à nullo diſcerni valeat ſeu dignoſci, quænam fuerit hujus aut illius Schedula, vel ſuffragium. Pariter ergo intelligatur in præſenti materia.

Prob. ſeptimò. Quia in cit. S. Conſtit. Urban. in c. 2. Reg. tit. 25. §. 1. ordinatur, ut in communi veſtiario *omnia ibi veſtimenta Fratrum cùm lanea, tum linea, ſeparatim tamen aſſerventur.* h. i. Ex quo textu ſic argumentor: ſi de aſſervatione pecuniarum; à Fratribus particularibus acquiſitarum etiam decerneretur, quòd deberent *ſeparatim* conſervari, non eſſet locus controverſiæ; cùm ergo illa particula hìc non ponatur, ſed alius terminus, illius planè deſtructivus, ſcil. *confundantur*, quod idem eſt, ac *non ſeparatim conſerventur*, ſed in unum cumulum ac maſſam miſceantur; evidenter liquet, quòd phyſicam confuſionem pecuniarum urgeant Conſtitutiones Urbanæ in cit. Decreto.

Confirmatur. Juxta regulam juris: *Si legis-lator aliud voluiſſet, aut intendiſſet, apertiùs locutus fuiſſet*, maximè in materia, monachorum inordinato appetitui ita favorabili, ſed nimis periculoſâ & nocivâ. Conſtitutiones autem Urbanæ ſolùm memorant, & præcipiunt, quòd debeant particulares eleëmoſynæ in communi ærario conſervari, & *confundi* pro particularium Fratrum neceſſitatibus; conſequenter alia contraria explicatio neu-

neutiquam debet hic admitti, cùm ſit à monachis pecuniæ cupidis extorta in ſubverſionem regularis vitæ, & apertam perniciem animarum &c.

Prob. octavò. In Conſtit. Urban. in c. 4. Reg. tit. 9. §. 12. ſtatuitur: *Providè igitur unicuiq; (ut opus fuerit) diſcretus Paſtor, quæ neceſſaria ſunt, diſtribuat: Sic enim & in primitiva naſcentis Eccleſiæ ætate (ut apud Acta Apoſtolorũ habetur) erant illis omnia communia; dividebatur autem ſingulis, prout unicuique opus erat.* h. i. Ubi nota has duas cum ſingulari Emphaſi additas particulas *ſic enim*, quarum prima ſignificat paritatem, ſecunda cauſalitatem, ut ſenſus ſit: Servemus, *ſicut* in Eccleſia primitiva ſervatum eſt; & *ideo* ſervemus, *quia* etiam ibi ſic ſervatam legimus tam vitæ communitatem, quàm legitimam cum proportione debita diſtributionem. Atqui ibi erat maſſa communis una, ex qua dividebatur ſingulis; & nullo modo tunc tolerabantur peculia, ſeu privatæ burſæ: ergo nec apud nos debent tolerari ullatenus, utpote vitæ laxioris & irregularis fundamentum, & fomentum, contra apertam mentem S. Conſtitut. Urbanarum.

Porrò ſi quis impugnator propugnatæ hucuſque & ſanè explicatæ phyſicæ *confuſionis*, adhuc ulteriorem & planiorem deſideret hujus vocis *confuſio* intelligentiam, & explicationem, tantummodo in corpore Juris civilis inſpiciat Librum ſecundum Inſtitutionum Juſtiniani; ubi magis ex ſuppoſito, quàm ex propoſito videbit aptè, & præſenti materiæ ſat accommodatè intellectam, & uſurpatam hanc *confuſionem*, ſed ad ma-

majorem ſui *confuſionem*. Et ſicut ibi per confuſionem amittitur dominium (vide ibi) ſic in religioſo profeſſo amittitur omnis peculiaris prætenſio ad pecunias à ſe acquiſitas, at jam confuſas in maſſa communi. Attamen manet obligatio in ſuperiore, ut ex illa maſſa provideat illi de omnibus neceſſarijs, ſalvâ honeſtate religioſi moderaminis.

Plura alia, probantia dictæ vocis intelligentiam adduxi in *Libro*, cui titulus *S. Communitas*. Si fortè argumenta in contrarium facientia appareant, ſolventur facilè ex infrà dicendis. NB. Interim in hac & quavis alia materia meum judicium S. Romanæ Eccleſiæ, & S. Congregat. Eminentiſſimorum DD. Cardinalium judicio ac ſenſui humiliter, libenter, ac reverenter ſubjicio: paratus ad audiendum ſaniora conſilia, pro ſecuritate conſcientiarum, & pacifica tranquillitate animarum. Magis roborabitur reſponſio ad præmiſſam quæſtionem ex dicendis in quæſtione ſequenti. Sit ergo

Quæſtio II.

AN S. Conſtitutiones Urbanæ permittant privata depoſita, ſeu pecuniaria peculia cum hac indefinita licentia, ut particulares Religioſi poſſint talia ſibi acquirere in Ordine Minorum Conventual. & illimitatè quoad modum, quantitatem, ac tempus de anno in annum conſervare (quamvis apud depoſitarium conventus, ſeu in communi arca) illaque de conven-

ventu in conventum, dum elocantur, ſecum ferre, & inde de neceſſariis ſuis ſibi providere.

℞. Negativè ad quæſtionem ſic formatam. *Probatur* ratione multiplici fundatâ in mem. S. Conſtit. Urbanis. Et quidem *primò* ex Decreto cit. S. Congreg. Viſit. Apoſt. quòd S. Conſtitutionibus noſtris Urbanis eſt inſertum tamquam aliquid, quod eſt de corpore & ſubſtantia Conſtitutionum. In quo *omnibus Ordinis noſtri Fratribus diſtrictè prohibetur, ne quiſpiam eorum pecunias etiam ex eleëmoſynis, concionibus, aliove labore, aut conſanguineorum, ſeu aliorum largitione; etiam intuitu perſonæ datas, aut aliàs quovis modo ab eis acquiſitas, vel acquirendas, tamquam propria, aut etiam nomine conventûs poſſideat vel teneat.* h. i. Ubi non ſolùm prohibetur Fratribus pecunias tenere tamquam proprias, ſed ne quidem *nomine conventûs*, multò minùs nomine proprio illas poſſidere, aut tenere. Alius autem modus tenendi aut habendi pecunias non eſt dabilis niſi fictitius, & contra rationem, ac verborum horum intelligentiam extortus.

Prob. ſecundò. Quia in cit. Decreto de prædictis pecuniis diſtrictè præcipitur, ut *ſtatim Superiori tradantur, conventuique incorporentur, & confundantur, prout nos ex nunc ea applicamus, incorporamus, ac confundimus, & pro applicatis, incorporatis, & confuſis haberi volumus, & mandamus.* h. i. Si ergo pecuniæ tales à privato Religioſo quomodolibet acquiſitæ, & Superiori extradendæ, ac extraditæ *ex tunc* applicentur, ſanè amittunt planè ſuam paſſivam peculiaritatem,

ut proinde non ſint *ex tunc* , *nec priùs*, *nec umquam* ſpecialiter tentæ,vel poſſeſſæ à tali particulari Religioſo. Proinde is numquam poterat,nec poteſt , nec poterit dici talium pecuniarum poſſeſſor,aut tentor, aut propriè habitor (ſi hoc nomen bene ſonet) ſed ſolùm *exhibitor*; prout dicitur in cit. Decreto his verbis : *Ex quibus* (*pecuniis, aliisque rebus*) *ſubminiſtrato NB. exhibitori, quantum religioſa ejus neceſſitates* (*ſtatûs valetudinis,laborumque ratione habitâ*) *expoſtulare videbuntur*, *reliquum penes ærarium maneat*. h. i.

Prob. tertiò. Quòd talis particularis Religioſus nullam peculiaritatem, aut attinentiam quaſi ſpecialis juris aut prætenſionis ad tales pecunias, aut res habeat,patet ex eo, quòd ſit ſolùm circa illas tamquam circa rem alienam quaſi adminiſtrator non juris, ſed ſolius uſus-facti. Unde & dicitur in cit. Decreto : *Quod verò à Superiore ipſi traditum fuerit,vel undecumque ad ejus manus pervenerit* , *memorato Superiori de eo rationem ad omnem ejus nutum reddere teneatur*. h. i.

Prob. quartò Ex Conſtit.Urban. in c. 4. Reg. tit. 2. §. 5. ubi decernitur : *Depoſitarij præcipua munera ſunt -- pecuniam,ceteraque bona per exactorem in unum collecta fideliter cuſtodire, & in arca trium clavium aſſervare* : *res quaſcumque conventui quoquo modo obvenientes in commune Fratrum depoſitum inferre*. h. i. & lc. §.9. *In ipſa trium clavium arca* (quæ lc. tit. 8. §.1. vocatur *commune conventus ærarium*) *pecuniæ omnes tam*

certæ

certa quàm incerta , tam quæ ob annuos fructus, redditus, cenſus , ſive legatorum tum ordinariorum, tum extraordinariorum, quàm quæ ob Fratrum legentium, laborantium , prædicantiumve labores , aut quamvis aliam piorum eleëmoſynarum occaſionem, vel aliàs quomodolibet conventui obvenerint , inferantur, & NB. juxta formam præfati Decreti cuſtodiantur. h. i. En! ibi decernitur, ut omnia qualitercumque obvenientia, etiam à particularibus qualicumque occaſione, aut viâ acquiſita inferantur communi ærario, & inibi *cuſtodiantur* non qualitercumque ſed *juxta formam præfati Decreti*, quod jubet omnia & ſingula *incorporari, confundi, & ex nunc pro applicatis haberi*, quaſi illæ pecuniæ tunc mox alium ſtatum, ſeu conditionem nactæ ſint; ut exinde poſtmodum omnibus & ſingulis de ſingulis neceſſariis provideatur, prout ibi decernitur *§. 6.* his verbis:

Diſpenſatoris autem , ſeu Expenſoris officium & cura ſit, ex pecuniis, aliisque rebus , quæ ſibi à Depoſitario traditæ fuerint, Superiori, Fratribus, totique conventui NB. de ſingulis neceſſariis (mandante tamen ipſo Superiore) non juxta proprij affectus menſuram , ſed ſecundùm religioſæ charitatis regulam , Sanctarumque Conſtitutionum noſtrarum ſtatuta providere. h. i. Per quæ ultima verba arcetur & prohibetur Fratribus omnis peculiaritas tam in cura , quàm in pecunia, utpote dum præcipitur , quòd ex una communi arca & maſſa, in qua pecuniæ ſingulæ jam confuſæ ſunt, ſingulis quoad ſingula proviſio fieri debe-

at. Ipſe etiam Superior quoad hoc aſſimilatur aliis ſubditis; quibus in hoc non reputatur melior aut potior in neceſſariorum proviſione. NB. Hæc de Superiori locali; nam de non locali S. Conſtitutiones Urbanæ ſpecialia decernunt, uti & in aliis Ordinibus Religioſis aliquibus, quantumvis in perfecta communitate viventibus.

Prob. quintò. Ad quid talia privata peculia? ſeu depoſita peculiaria pecuniaria? ſi dicatur; quòd ad hoc, ut quisque in particulari provideat ſibi de neceſſariis; dico, quòd Conſtitutiones inhibeant ſingulis peculiarem pro ſe in his curam habere. Nam in c. 4. Reg. tit. 2. §. 15. decernitur: NB. *Quidquid igitur neceſſe fuerit, ſervatis ſervandis, ex pecuniis à Depoſitario ſibi traditis Expenſor provideat.* h. i. Ubi ly *quidquid* comprehendit omnes quaſcumque neceſſitates tam in particulari, quàm in communi.

Quod clariùs exprimitur lc. tit. 9. §. 1. his verbis: *Maximè opus eſt, ut Prælati ipſi, quibus ex injuncto Regulæ præcepto incumbit, omni vigilantia, charitate, & ſolertiâ ea omnia, quæ ſingulis Fratribus non ad victum & veſtitum tantummodo, verùm & ad infirmitates ſublevandas, ad ſtudia proſequenda, ad itinera peragenda, ad labores reficiendos, & ad conſimilia quæcumque onera perferenda neceſſaria erunt, paterna benignitate, & ſolicitudine, nullâ (quando neceſſe fuerit) dilatione factâ providere debeant.* h. i. Quô quid clariùs decerni poteſt ad probandum reſponſionis ſuprà datæ intentum?

Prob. ſextò. lc. tit. 7. §. 1. in S. Conſtit. Urban.

ban. decernitur : *Uſus rerum, quæ unicuique Fratrum ad proprias ſublevandas neceſſitates tribuuntur, certus, determinatus, & ad Superioris nutum revocabilis ſit.* h. i. Si *certus, & determinatus*; ergo neutiquam licebit Religioſis in particulari, augere pecunias, aut alias res pro ſuo privato bono & uſu ad quantamcumque Summam. Inſuper, *ſi ad nutum Superioris revocabilis ſit*: ergo poteſt Superior inimpeditè uti hoc jure ſuo, hac poteſtate ſua, &, prout placet, revocare; & conſequenter ſubditus non poteſt, non debet, non audet reſiſtere, immo nec ullam particularitatis prætenſionem ad illas pecunias ſeu res contra Superiorem prætexere, aut allegare, niſi iniquè. Hinc & additur cit. loco : *quòd ſi quis aliter fecerit, vel quicquam (etiamſi pecunia ſit) tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta noſtras has Conſtitutiones puniatur.* h. i.

Prob. ſeptimò. Quòd S. Conſtitut. noſtræ Urbanæ de particularibus Fratrum Eleëmoſynis ita diſponant, ut ipſi Fratres nullum particularitatis titulum ad illas retineant, id manifeſtè liquet ex illis, quæ decernunt in c. 4. Reg. tit. 8. §. 1. & ſeqq. his verbis : *Particularium Fratrum eleemoſynæ, & pecuniæ, propriâ induſtriâ, vel alio quolibet modo ex quibusvis tum manualibus, tum literariis exercitiis acquiſitæ, & per conventus Officiales, vel (ſi id commodè fieri non poterit) per ſe ipſos receptæ, in communi conventus ærario aſſerventur, ex iisque veſtiarium, & reliqua omnes religioſæ neceſſitates ipſis ſuppeditentur. Quòd ſi hu-*

hujusmodi pecunia, & eleëmoſyna non ſufficiant, ex redditibus conventuum Fratrum indigentiis applicatis ſuppleatur. h. i. Junge quæ ſequuntur.

In §. 2. lc. *Si autem particularium Fratrum neceſſitatibus ex particularibus eleëmoſynis reparatis, aliquid ex ipſis ſupererit, id nullo modo è depoſito, vel ærario extrahatur, vel in alios uſus convertatur, ſed ibi uſque ad Provinciale Capitulum, ſeu Congregationem fideliter aſſervetur*. h. i. §. 3. *Capitulum verò, ſeu Congregatio, cui de ſuperſtite pecunia (& nulli alteri) diſpoſitio demandatur, habitâ ratione locorum, & perſonarum, NB. quidquid ſibi in Domino expedire videbitur, de ipſamet pecunia ſtatuat, & decernat &c.* h. i. & lc. *tit. 9. §. 6. Illarum enim, quæ ſupererint, pecuniarum; Fratrum neceſſitatibus jam reparatis, NB. omnimodam & abſolutam diſpoſitionem Capitulo Provinciali, ſeu Capitulari Congregationi proximè celebrandæ tantummodo reſervamus, ac reſervatam eſſe volumus, ac decernimus*. h. i. Et §. 7. *Qui verò Prælatorum ſecus fecerit — mox officio, & dignitate privetur, & ad cætera in poſterum Religionis munera, & dignitates ſit inhabilis*. h. i.

Ex quibus textibus ſic argumentor: ſi Capitulum habeat NB. *omnimodam & abſolutam diſpoſitionem; quidquid in Domino videbitur* &c. ergo poteſt inimpeditè uti hoc jure ſuo contra quemcumque in particulari. Ergo nullus in particulari habebit ullam peculiaritatis prætenſionem in tales particulares eleëmoſynas (ſuppoſito,

ſito,quòd ipſius neceſſitatibus religioſis à Superiore ſufficienter proviſum ſit, & in futuro providendum ſit ex illis vel aliis.) Hinc etiam non poterit ullatenus illas propria authoritate exponere, prout decernitur lc. tit.8. §.6. *Si quis autem eleëmoſynam à quovis ſibi datam authoritate propria diſpenſare auſus fuerit, ab eo Conventu, ubi de familia degit, expellatur*. h. i.

Prob. octavò. Religioſi particulares tenentur ſe Superiori,quoad neceſſariorum receptionem, in omnibus conformare: & Superiores tenentur Fratribus *omnia neceſſaria* ſubminiſtrare (prout ſtatim patebit ex textu S. Conſtit. Urban.) ergo non debebunt,nec audebunt Fratres peculia pecuniaria ſibi pro ſuis neceſſariis retinere. *Prob. hac conſequentia*; nam deplorandus eſſet Superior tamquam miſer & infelix, ſi deberet ſubditis omnia neceſſaria ſubminiſtrare, & tamen vellent hi,quidquid acquirunt,ſibi retinere. Immo irrationabilis eſſet hæc diſpoſitio, utpote generativa turbationis,rebellionis, plurimarumque aliarum inordinationum. Audi deſuper textum S. Conſtitut. Urban. in c.4. Reg. tit.9. §.13. *Superioris itaque arbitrium, & judicium, æquis adeò conditionibus libratum Fratres omnes promptè ſequentur, eique ſemetipſos (niſi de exceſſu vel defectu judicij, & arbitrij notoriè aliquid conſtiterit) in omnibus conformabunt, & coaptabunt*. h. i. *Et* §. 14. *Superiores autem*, NB. *quidquid depoſcat Fratrum neceſſitas, per Officiales conventus, in propria tamen ſpecie*, *NB. non verò in pecuniis, Fratribus ipſis benignè, paternèque ſubminiſtrabunt*. h. i.

 Si

Si quis tantùm velit intelligere, non poteſt hîc ampliùs dubitare: nam hæc intelligentia eſt tam plana, & tam *directa via, ita ut ſtulti non errent per eam.* Iſai. 35. 8.

Prob. nonò. S. Conſtitut. Urbanæ in c. 5. Reg. tit. 13. §. 1. præcipiunt promptuarij Præfecto, ut, quæ præter victum & veſtitum, (de quibus alibi) Fratribus neceſſaria ſunt, v. g. *oleum, charta,* &c. diſpenſet, & *unicuique proferat -- &, ſi quid ſuperſerit, communitati reſtituatur.* h. i. Ex quo iterum evidenter ſequitur, quòd talia neceſſaria nullus in particulari ſibi procurare debeat; conſequenter ad hunc finem non indigeat peculio pecuniario, ſeu depoſito.

Prob. decimò. S. Conſtit. Urbanæ in c. 6. Reg. tit. 2. §. 4. præcipiunt Fratribus omnem omnium quorumcumque bonorum reſignationem quoad *omne & quodcumque jus*: ergo hanc peculij pecuniarij reſervationem tam vagam, tam liberam, tam incircumſcriptam, ſeu incircumciſam nullatenus approbant, nec admittunt. Textus lc. hic eſt: *Si quis autem Fratrum, poſtquam Urbanæ Conſtitutiones hujusmodi ad ejus notitiam pervenerint, omnia bona, quæcumque illa fuerint, ſive eis de facto utatur, ſive ea apud Sæculares ullo pacto detineat, non revelaverit, & conventui, cujus Filius eſt, NB. quantum ad omne & quodcumque jus eo ipſo non reſignaverit, omnium legitimorum actuum jure, & utraque voce biennio privetur, aliisque proprietariorum pœnis ſubjaceat.* h. i.

Ubi nomine bonorum, quæ ſub uſum hominis cadunt, utique etiam exprimitur, & comprehenditur

ditur pecunia. Et, ſi nativo conventui *omne & quodcumque jus* in talem pecuniam reſignandum, & reſignatum ſit, utique poteſt ille Conventus de tali pecunia diſponere, prout maluerit (niſi tamen aliunde hæc poteſtas limitetur, prout de facto limitata eſt ſuprà) conſequenter talis Religioſus amittit omnem qualemcumque pertinentiam, ſeu attinentiam ad illam pecuniam, ſine ſpe regreſsûs ad illam recipiendam in ſpecie, aut individuo, & aliò transferendam pro voto ſuo, certè circa hoc valde ineruditô, & inordinatô.

NB. Si quis autem hunc præcitatum textum aliter intelligere, vel in ſenſum abſonum detorquere voluerit, manifeſtum ſignum eſt non debilitatis in intellectu, ſed obliquitatis aut pravitatis in affectu, utpote per inordinatum amorem pecuniæ obcæcatô, & hebetatô. Si quæ autem in S. Conſtitut. Urbanis alicubi appareant ſpeciętenus contrariantia his jam reſolutis in hac quæſtione, in ſequentibus magis dilucidabuntur, & reſolventur. Itaque ſit

Quæſtio III.

QUaliter ergo intelligendus ſit textus S. Conſtit. Urban. in c. 4. Reg. tit. 8. §. 4. qui ita decernit: *Quòd ſi occurrat Fratres ante Capitulum è concionibus redeuntes, ſuarum eleëmoſynarum pecunias ad Superiores (uti tenentur) deferre, communique depoſito præſentare; Superior, ut diligenter uſque ad peractum*

Capitulum aſſerventur, ſedulò curet; eò verò peracto, ſi Fratres aliò de familia profecturi fuerint, ipſiſmet reddantur, eò, quò proficiſcuntur, deferenda, factâ proinde, atque ad illum conventus & loci Superiorem, ubi is de familia degere debet, tranſmiſsâ, ſeu ſtatim tranſmittendâ, & pecuniarum ipſarum, & aliarum, quas defert, ſingularum rerum diſtinctiſſimâ notulâ. h. i. ante reſponſionem.

N. 1. Hunc textum ſibi patrocinari arbitrantur peculiariſtæ, utpote ſibi imaginantes erroneè, quaſi loqueretur univerſaliter: & quòd proinde ſibi liceat privatum pecuniarium peculium ſeu depoſitum conſervare, illudque de conventu in conventum ſecum transferre, dum elocantur (contra dicta in fine prioris quæſtionis) ſed valde hallucinantur, ut ſtatim patebit. Sed priùs

N. 2. Quòd prædictus textus non contineat univerſalem ſeu indefinitam diſpoſitionem, ſed ſolùm particularem conditionatam exceptionem (exceptio autem particularis firmat regulam univerſalem in reliquis.) Quòd autem non ſit univerſalis diſpoſitio quoad tales particulares à Fratribus qualitercumque acquiſitas pecunias, immo nec ſemper quoad omnes pecunias ex concionibus, ſeu prædicationibus conquiſitas, id apertè liquet ex eo, quod decernitur in c. 4. Reg. tit. 2. §. 9. quòd nimirum *in arca trium clavium inferantur pecuniæ omnes tam certæ quàm incertæ, tam quæ ob annuos fructus - - quàm quæ ob Fratrum legentium, laborantium,* NB. *prædicantiumve labores, aut quamvis aliam piorum eleëmoſynarum occaſionem, vel aliàs quomodolibet conventui obvenerint.* h. i.

Dein-

Deinde in cit. Decreto S. Congregat. præcipitur, ut *eleëmoſyna etiam* NB. *ex Concionibus acquiſita Superiori tradantur, conventuique incorporentur.* h. i, En! *Eleëmoſyna ex concionibus, ſeu prædicantium laboribus acquiſita* debent in communi ærario cuſtodiri juxta formam præfati Decreti, id eſt, *incorporari, confundi,* & hinc non in natura NB. reddi ipſis Fratribus; quod tamen decernitur, ut fiat in particulari exceptivo caſu quæſtionis hujus. De quo proinde

N. 3. Caſus exceptivus hujus quæſtionis triplicem involvit conditionem, *prima* eſt, *quòd Fratres è concionibus redeuntes* conferant eleëmoſynarum ſuarum pecunias, utique partas occaſione concionum habitarum indies per quadrageſimam (prout moris eſt in Italia, nullibi autem apud nos in hac Germaniæ Provincia) & hinc occaſione talium concionum, ſi cum plauſu & fructu habitæ ſint, largior talibus concionatoribus offertur eleëmoſyna. 2*da* eſt, *ſi id contingat ante Capitulum.* Eſt autem tempus Capituli, ſi Provinciale ſit, præſcriptum à S. Conſtitut. Urbanis poſt quindenam Paſchæ, & hinc tempus ante Capitulum eſt tempus paſchale, quod ſequitur immediatè tempus habitarum concionum in quadrageſima: ſi autem Generale Capitulum ſit, eſt tempus antepentecoſtale. 3*tia* eſt, *ſi Fratres, peractô capitulô, aliò de familia profecturi ſint.* Ex his Collige, &

N. 4. Quòd, ſi occaſione harum concionum Fratres pecunias conferant, & tamen Capitulum non inſtet; vel, ſi Capitulum quidem inſtet, non tamen

tamen ad alium conventum tales concionatores mittendi ſint, conditionatus hic & exceptivus caſus non habeat locum, ideoque tunc pecunia occaſione concionum collecta generali regulæ ſuprà datæ ſubjacebit, ut nimirum *ſtatim ſuperiori tradatur, incorporetur, & confundatur &c.* Hanc explicationem, & intelligentiam ipſe textus hujus legis, & ſpecialis congruentia ejus (de qua ſtatim pòſt) ſubminiſtrant. His ita prænotatis, & præintellectis, jam

℞. 1. Quod hic caſus non patrocinetur Peculiariſtæ. *Ratio* jam allata eſt in præmiſſis notabilibus.

℞. 2. Valde congruum erat, ut circa hunc caſum fieret ſpecialis diſpoſitio, decerneretur que, ut pecunia illa conferretur ad illum conventum, illumque ſuperiorem, qui in poſterum habebit obligationem veſtiendi, & alimentandi talem concionatorem, qui illam lucratus eſt. Hinc etiam illa pecunia potiùs debet mitti ad ſecundum Superiorem, & conventum, quàm relinqui in primo. Proinde ſimul tranſmittenda erit talium pecuniarum, & aliarum rerum, quas conferet, diſtinctiſſima notula; ut per hoc iterum ſignificetur, talem Religioſum nullum habere jus peculiaritatis ad illam pecuniam contra hunc novum ſuum Superiorem, aut conventum. Occaſione jam reſolutorum,

Quæres, an particulari Religioſo in Ordine noſtro Minorum Conventual. concedi poſſit licentia, ut pecuniam à ſe ſpeciali induſtria, vel ex pio legato, aut donatione acquiſitam poſſit pone-

re

re ad cenſum, & inde annuam penſionem pro ſe percipere, pro ſuis neceſſitatibus impendendam.

℞. 1. Negativè (quid in aliis Religionibus liceat, ego hic non examino, nec taxo, nec decído.) Reſponſio hæc fundatur in aperto textu Conſtit. Urban. in c. 4. Reg. tit. 7. §. 2. qui talis eſt: *Poſſeſſiones autem, ſive bona quacumque ſtabilia Fratres etiam de ſuperiorum licentia (licèt eam ſe concedere poſſe contra veritatem teſtarentur) nullatenus poſſidere poſſunt, nec* NB. *uſu eorum potîri.* h. i. Ubi inter bona ſtabilia utique computatur jus ad annuum cenſum ſeu penſionem; eſt enim redditus, cujus *nec uſu potiri poſſunt.* Hìc itaque non ſolùm adimitur jus juris ad talem cenſum, ſed etiam facultas poſſidendi, immo èt ſolo eorum uſu potiendi. *Inſuper* quòd Fratres in particulari ne quidem *nomine conventus* redditus, ſeu cenſus poſſidere, vel tenere valeant; id enim clarè verbotenus exprimitur à S. Congregat. in Decreto ſæpe citato; ergo multò minùs *nomine proprio.*

℞. 2. Ut ergo non peccetur in ſubjecta materia, ita cenſus annuus in bonum particulare talis Religioſi ordinandus eſt; ut nimirum Ordo, vel Conventus ſolus nomine ſuo tamquam jus juris habens trahat penſionem annuam, cum obligatione, talem Religioſum veſtiendi, alimentandi, eique de aliis neceſſariis providendi.

His ita præviè reſolutis, facilior erit reſolutio illorum, quæ proponentur in ſequentibus quæſtionibus. Sit itaque

QUÆS-

Quæſtio IV.

AN ſit ſecundùm S. Conſtitut. Urbanas, aut præſcribatur ab eis, vel approbetur, aut ſaltem toleretur ab eis, ut non reſiſtant, *primò*, quòd in noſtro Ordine Minorum Conventual. ex generali, ſeu indefinitè præſumpta licentia, privatus Religioſus propriâ privatâ induſtriâ, dexteritate, aut patronorum conciliatione, ac benevolentia, vel alia quacumque viâ de ſe non malâ ſibi ipſi privatim procuret veſtimenta interna & externa, ſive lanea, ſive linea, aliaque perſonæ & cameræ utenſilia. *Secundò*, quòd illa, dum ob cauſam à ſuo P. Provinciali elocatur de conventu in conventum, de loco in locum ſecum conſarcinata coaſportet, aut aſportari curet. Ante reſponſionem.

N. 1. In comperto eſt, quòd hujuſmodi quidem videatur praxis in aliquibus monaſteriis; ſed, an bona? an ex prima Ordinum inſtitutione, vel deformatione, aut defectione? an de jure? an praxis *per ſe* bona? an ſecundùm Ordinis Regulam, & Conſtitutiones? &c.

N. 2. Experientia docet, quòd Religioſi nimis ſolicitè & ſordidè talia pro ſe privatim conſarcinantes, coaſportantes, non immeritò vileſcant in mente aliorum tam Sæcularium, quàm Regularium, ſolidam virtutem Sapientium, utpote plùs in hiſce labentibus muſcis, quàm in Divina Providentia confidentes, contra illud Matth. 6. 34.

No-

Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Si tamen tales in ſecundo Monaſterio ſibi neceſſaria non invenirent, minimè reprehenſibiles forent, ſi cum debita licentia Superiorum, neceſſaria ſibi ſecum illuc ferri peterent; dummodo cupiditati indomitæ non ſerviatur, aut locus concedatur. At hoc tunc non eſt *per ſe*, ſed *per accidens*, non *ſecundùm*, ſed *præter* Conſtitutiones. Hinc

℞. 1. *Ad primam partem quæſtionis principalis*, non eſſe *ſecundùm* S. Conſtitut. Urbanas; quæ ſunt noſtræ vivendi leges. *Ratio eſt, primò*, quia talis ad talia generalis & indefinita licentia eſt, *per ſe loquendo*, vetita, & laxitatum, plurimarumque inordinationum inductiva; ut fusè declaravi in *libro de S. Communitate. Secundò*, quia S. Conſtitut. Urbanæ tam ſuſpectam, damnoſam, & reprobam licentiam, immo & titulum, ſeu occaſionem ad illam præſumendum præamputant, dum hac valde ſeria lege Superiorum conſcientias ligant in c. 4. Reg. Tit. 9. §. 1. *Maximè opus eſt, ut Prælati ipſi, quibus ex injuncto Regulæ præcepto incumbit, omni vigilantia, charitate, & ſolertia, ea omnia, quæ ſingulis Fratribus, non ad victum & veſtitum tantummodo, verùm & ad infirmitates ſublevandas, ad ſtudia proſequenda, ad itinera peragenda, ad labores reficiendos, & ad conſimilia quæcumque onera perferenda neceſſaria erunt, paterna benignitate, & ſolicitudine, nullâ (quando neceſſe fuerit) dilatione factâ, providere debeant.* h. 1. & §. 8. *Diſcretè itaque, prudenter, ac (ut uno verbo dicatur) paternè prorſus, quæ neceſſaria erunt, unicuique etiam eorum familia*

minimo, abſque dilatione, abſque increpatione, ſed læto & hilari vultu impertiri curabunt. h. i.

Ex quibus locis infero: ſi Superiores præceptum habeant, ſingulis in omnibus providendi; non audent licentiam talem, tam generalē ſubditis dare, *per ſe loquendo*; nec ſordidam hanc curam in illis poſſunt, aut debent tolerare. Si autem contrarium à multo tempore in dicto Ordine practicatum ſit (ſeu ex injuria temporum, ſeu ex defectu charitatis in Superioribus, aut fervoris in ſubditis &c. neſcio, Deus ſcit) id non fuit *ſecundùm* S. Conſtit. Urbanas; de quo ſolùm procedit hæc prima reſponſio. Ex his

℞. 2. Nec id præcipitur à S. Conſtit. Urbanis. *Ratio patet* ex dictis. *Tum etiam*, quia illæ potiùs contrarium præcipiunt, dum nimirum inhibent Superioribus, ne culpâ ſuâ dent occaſionem aut anſam ſubditis procurandi ſibi per ſe ipſos neceſſaria, per viam non licitam, v. g. *per converſionem ad loculos*; de quo textus S. Conſtit. Urbanarum lc. §. 10. apertè loquitur his verbis: *Quòd ſi Superiores Fratres ipſos, non ùt filios, ſed ùt ſervos, omni neceſſitati ſeu ex injuria, ſive ex contemptu ſubeſſe patiantur; certiſſimum eſt, eos in deteriora lapſuros, & ad loculos contra jus, faſque, & ad Conſtitutionum ipſarum, & Regulæ tranſgreſſionem ſeſe converſuros.* h. i. Ex his.

℞. 3. Quòd nec approbetur à S. Conſtitut. Urbanis. *Ratio eſt*; quia, ut patet ex dictis, potiùs reprobatur non tantùm implicitè, ſed ſatis explicitè, dum curam temporalium neceſſitatum totam conjiciunt in Superiores, mediantibus Offici-
ali-

alibus, aliisque ad id deputandis Fratribus. In quo ſupponunt integram, & inviolatam debere manere Regulam noſtram c. 4. ſic præcipientem : *Pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales, Miniſtri tantùm & Cuſtodes ſolicitam curam gerant ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire.* h. i. In quo textu curam temporalium ſolicitam habere jubentur *Miniſtri tantùm & Cuſtodes*; quòd ſi illi *tantùm*, ergo nulli alij. Ubi per *Miniſtros*, ſeu *Cuſtodes* etiam Guardianos debere intelligi, ex mente S. P. N. Franciſci, ait S. Bonaventura. Ubi

Notandum eſt ſingulariter, quòd in nullo loco S. Conſtitutiones noſtræ Urbanæ jubeant, permittant, aut licentient, ut quis privatus ſibi privata neceſſaria procuret ſeu ad victum, ſeu veſtitum, ſeu &c. Immo potiùs talem privatam curam (prout opponitur curæ pro communitate) prohibent, & damnant, v. g. in c. 5. Reg. tit. 16. §. 2. Coquo inhibetur, *ne carnes, neque pulmentaria, aut alia quævis edulia pro particulari quopiam Fratre coquere, ſeu condire ullo modo præſumat, alioquin publicæ diſciplinæ pœnam nullatenus differendam ſubeat.* h. i. Et in c. 3. Reg. tit. 19. §. 14. *corrigantur autem, & puniantur, qui absque neceſſitate, vel in propriis cellis comederent, ſeu biberent.* h. i. Et §. 8. *Menſa communitas ita ſervetur, ut nulli etiam Superiori quidquam proprij ad eam privatim deferre liceat : omnes enim ejuſdem familiæ Fratres iisdem penitus cibis veſci neceſſe eſt.* h. i. In quibus & aliis locis *communitas*

laudatur,ac præcipitur,peculiaritas verò proſcribitur,& damnatur,tam in cultu externo, & curâ corporis,quàm ventris.

Sanæ harum S. Conſtitut. Urbanarum intelligentiæ omnino concordaſſe arbitror, quod feci, dum certi alicujus pauperculi Conventûs Guardiano rigidè inhibui, aliisque inhibeo,& inhibebo(ut non delinqueretur contra Communitatis legem,& normam) ne ullatenus permitteret, ut duo Fratres pro ſibi in particulari neceſſariis veſtimentis mendicarent, ſed pro neceſſitatibus Fratrum in communi : & ut eleëmoſynam ex eorum mendicatione conquiſitam priùs faciat de communi menſa ſeu maſſa,& exinde poſtmodum his,aliisque pro exigentia ſuccurrat, ſecundum proportionem à S. Conſtitut. Urbanis præſcriptam ; ut ita & labor, & laboris fructus pro communitate fiant,& maneant.

Hoc eſt, quod *Communitatis exactæ exactiſs Legifer S. Auguſtinus* tam ſeriò præcepit in Regula,& viris, & monialibus datâ, dum inquit: *Nullus(nulla) ſibi aliquid operetur, ſive unde induatur,ſive ubi jaceat,ſive unde cingatur, vel caput contegat : ſed omnia opera veſtra in commune fiant majore ſtudio, & frequentiori alacritate, quàm ſi vobis propria faceretis. Charitas enim,de qua ſcriptum eſt, quòd non quærit quæ ſua ſunt,ſic intelligitur,quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quantò amplius rem communem, quàm propriam curaveritis,tantò ampliùs vos profeciſſe noveritis ; ut in omnibus, quibus utitur tranſitoria neceſſitas,*

tas , *ſuperemineat qua permanet charitas.* h. i. Nunc

R. *Ad ſecundam partem quaſtionis principalis*, quòd (*per ſe loquendo*) tam ſolicitam & anxiam conſarcinationem , & coaſportationem S. Conſtitutiones Urbanæ præveniant , & conſequenter repudient, dum nimirum jubent(ſi forma ſtatûs Provinciæ eſſet , qualis ſecundùm illas eſſe deberet) ut quicunque localis Superior ſive conventûs *ex quo*, ſive conventûs *ad quem* aliquis mittitur elocatus, ſuis ſubditis in omnibus provideat(intellige , cum proportione debita.) Et hinc ſicuti Superior primi conventus tenebatur tali Religioſo ſuppeditare omnia neceſſaria , ita & Superior ſecundi conventus,ad quem mittitur. Ad quid ergo talis convaſatio,& coaſportatio?

Ridet S.P.N. *Franciſcus* limaces tam anxias, ſuas etiam domus quòcumque comportantes: Proſcribitque è numero ſibi dilectorum formicas tam ſolicitas , quæ congerere & convaſare non deſinunt terreas moles,de cæleſtibus autem bonis heu parum ſolicitæ. NB. *Nihilominus* Superioris ſpecialis licentia poteſt in caſu aliquid facere licitum ex cauſa,v. g. ſi quis ob ſenium , debilitatem,ſtudium,particularem artem, aut occupationes,officia , particularibus rebus præ alio indigeret &c. At de hoc non procedit quæſtio, nec reſponſio,ſed de generali conſuetudine talia practicandi. NB. Ad quam utpote hucuſque in Ordine noſtro nimis noxiam,pro futuro omnino abolendam,& extirpandam,nemini omnino , qui pro futuro admittetur ad Sacrum habitum, permitti de-

bebit, ut talia peculiaria ſibi reſervet, procuret, præexcipiat, ex intentione huc illucque ſecum tranſportandi; ne noviſſimus error fiat pejor priore. Permittatur ergo licitus neceſſariorum uſus, & tollatur omnis abuſus.

Objectio, quæ contra hic jam reſoluta poſſet moveri à non-nemine nolente rectè intelligere, ſolvetur ex dicendis in quæſtione ſequenti. Itaque ſit

Quæſtio V.

QUomodo intelligendus ſit ſequens textus S. Conſtitut. Urbanarum, ut non pugnet contra præmiſſas reſolutiones, qui habetur in c. 6. Regulæ tit. 2. § 6. qui talis eſt: *Si quis verò extra nativum conventum obierit mobilium bonorum, à Superioribus ſibi pro neceſſitatibus ad uſum conceſſorum, quæ apud ſe tunc haberet, deductis curationum & funerum impenſis, medietas altera nativo conventui, altera verò ei, in quo extremum clauſerit diem (dummodo ibi de familia fuerit) applicetur.* h. i. Ante reſponſionem

N. 1. Peculiariſta ex hoc textu format talem pro ſe diſcurſum. Si talis mortui Fratris mobilium medietas uni, & altera medietas alteri conventui ſit applicanda; ergo ſupponunt, ſeu permittunt noſtræ Urbanæ Conſtitutiones, aliquem habere poſſe aliquid in particulari ad uſum neceſſitatis ſuæ, ad quod *totum* non habet jus conventus ille, in quo moritur talis; & conſequenter ſupponitur is Frater adhuc vivens habuiſſe illud

ita

ita, ut non eſſet de communi menſa vel maſſa, nec illi incorporatum, nec ex bonis conventus illius, in quo moritur. Sed priùs

N. 2. Licèt in dicto textu non explicitè fiat mentio pecuniæ; Supponamus tamen, ibi nomine *mobilium bonorum* quoque comprehendi pecuniam (licèt poſſet fortè quis non ſine fundamento opinari, ibi non comprehendi pecuniam, eò quòd dicatur, *quæ apud ſe tunc haberet*; Religioſo autem privato, maximè ægrotanti numquam licet *apud ſe habere pecuniam, etiam cum Superioris conſenſu*: nam hic eſt quintus inter 10. actus proprietatis, in c. 7. Reg. tit. 1. *Quicumque res ſuperfluas, vel curioſas, & pecuniam ipsã apud ſe habuerit, iisq; utatur, etiã de permiſſione, & voluntate Prælati*. h. i. Deinde Religioſus, qui tempore mortis apud ſe illicitè habuiſſe pecunias poſtmodũ convincitur tamquam proprietarius, exhumandus eſt, ſi jam in loco benedicto ſepultus ſit, & in ſterquilinio, juxta SS. Canones, ſepeliendus cum pecunia, ſuæ perditionis causâ; non puniendus autem hac pœna, ſi alias res apud ſe illicitè habuiſſet.)

N. 3. In dicto textu S. Conſtit. Urban. fit mentio 1. de iis, *quæ conceduntur à Superioribus* (ſuppono, quòd *licitè*) 2. *ad uſum pro neceſſitatibus*. 3. *quæ apud ſe tunc haberet*. Ubi ly *haberet* cùm ſit imperfectum, æquivalere facit propoſitionem huic conditionali, *ſi illa apud ſe tunc haberet*. Inſuper per illam particulam *haberet* inſinuatur quoque, quòd fuerit merè uſuarius non juris, ſed ſimplicis uſurpationis, *licitæ*, ut ſupponitur.

N. 4. Quòd hæc diſpoſitio ſit ibi ſpecialis in favorem nativorum conventuum; unde dicitur *ſi quis verò*, quaſi conditionata exceptio à communi ſeu generali regula. Et circa hoc dubium eſſe nequit, quòd S. Conſtitutiones noſtræ poſſint in particulari cum exceptione diſponere de mobilibus relictis à Fratribus poſt mortem, qualitercumque ad illos pertinuerint, ut vel ibi, vel alibi applicentur.

N. 5. Dupliciter poteſt contingere, quòd mobilia ad uſum pro neceſſitate alicui perſonæ à ſuperiore concedantur. *Primò* de bonis iſtius conventus, cui etiam manent; attamen ſolus uſus-facti tali Religioſo in particulari pro tempore utilis eſt. v. g. Superior ex pecunia conventus coëmit plurima linea interiora veſtimenta, item ſtrophiola, mappas, mantilia &c. eaque reponit in communi veſtiario, ex hac intentione, ut cuicumque Fratrum, ſive ſit Filius nativi iſtius conventus ſive non, ſive incola, ſive advena, ſive de familia ſive non, exinde pro neceſſitate ad uſum ſuppeditentur; & poſt uſum & lotionem, denuo ad commune veſtiarium reponantur, & maneant de menſa communi.

Secundò ita, quòd tali particulari Religioſo fuerint v. g. à conſanguineo, vel bono patrono datæ, citra expenſas à conventu factas: vel, quòd talis Religioſus pro particulari neceſſitate ſua, labore ſpeciali aut induſtria, vel dexteritate procurarit talia. In quo caſu (licèt, quidquid monachus acquirit, monaſterio acquirat; & proinde ſtrictè loquendo nihil niſi monaſterio incorpora-

tum

tum poſſit licitè haberi aut teneri à monacho, ſeu Religioſo) poteſt nihilominus Superior talis Religioſi uſui ſpeciali talia licitè applicare ſeu deſtinare, propter ipſius ſpecialem indigentiam, corpulentiam, vel debilitatem, aut perſonæ dignitatem, vel ſpecialem, quam profitetur, artem, ſcientiam, occupationes, negotia &c. At hic eſt caſus ſpecialis, neutiquam verò generalis ita vivendi conſuetudo, à S. Conſtit. Urbanis approbata, aut præſcripta.

N. 6. Licèt in cit. textu fiat ſolùm mentio *mobilium conceſſorum à Superioribus* &c. utique *licitè* (quia lex non ſupponit peccatum in ſubdito, maximè morti proximo, niſi aliunde probetur.) Supponamus tamen etiam nunc, non incongruè poſſe & debere quoque comprehendi illa mobilia, quæ *illicitè* ſive cum, ſive ſine ſuperioris conſenſu talis quis tunc haberet. Cujus *ratio eſt*; quia legis hujus ſpecialis diſpoſitio non videtur hìc habuiſſe ſpecialem (*per ſe, & excluſivè*) reflexionem ad *licitum*, vel *illicitum*, ſed ad relictum à Fratre jam defuncto.

N. 7. Duplex poteſt conſiderari Status Religionis noſtræ Minorum Conventualium. *Primò* ille, quem S. Conſtitutiones Urbanæ, dum compilabantur, in Religione noſtra tunc invenerunt, qualem Reverendiſſimus P. N. Generalis, immortali memoria dignus *Felix Franceſchinus Caſſianus* in præfatione ad S. Conſtitutiones Urbanas 1628. 21. Septembris talem depingit, & fuiſſe deplorat, in quo *regularis diſciplina variis, qui in ipſam irrepſerant, abuſibus erat labefactata,*

h. i. *Secundò is*, quem S. Conſtitutiones Urbanæ principaliter intenderunt, cujus Status promovendi aut introducendi intentionem ſuam fuiſſe hanc explicat mem. Reverendiſſimus P. Generalis Lc. ſcilicet *regularem diſciplinam novis Conſtitutionibus ſuffultam priſtino candori, Seraphici Patris noſtri Regulæ*, NB. *communiſque vitæ obſervantiæ, quantum præſentia tempora ſinunt, conformem reddere*. h. i. His ita prænotatis, facilis eſt reſponſio ad quæſtionem. Itaque,

℞. 1. Quòd textus ille in titulo quæſtionis adductus non videatur (ſalvo meliori judicio) intelligendus de mobilibus, ad uſum particularis Fratris conceſſis in primo ſenſu notabilis quinti, ſed ſolùm in ſecundo ſenſu ejuſdem notabilis. *Ratio prioris eſt*; quia talia mobilia ſunt illius Conventûs propria, ad quæ proinde talis particularis Religioſus nullum habet jus, nec ſpecialem ullam attinentiam, vel cohærentiam. Hinc nec nativus illius Conventus poteſt ex ullo titulo habere ullam ad talia prætenſionem (quem tamen S. Conſtitutiones Urbanæ hìc ſupponunt, ut dictus textus habeat locum, & cauſam juſtæ executionis.)

Ex hoc patet ratio poſterioris, quia, ſi in ullo caſu, maximè in hoc ſenſu intentio S. Conſtitutionum Urbanarum habebit locum: & poteſtas legislatoris congruè ſe extendit ad diſponendum de talibus bonis, juxta dicta in notabili quarto, eò, quòd nativus Conventus ſicut habet majorem obligationem ad Fratres ſeu Filios ſuos nativos, ita & magis congruam, magiſque fundatam

am prætenſionem ad relicta ab eis, ſi nulli Conventui ſpecialiter propria ſint. *Quoad hunc ſecundum ſenſum.*

℞. 2. Quòd S. Conſtitutionum Urbanarum diſpoſitio apertiùs locum habeat, ſi loquamur de primo Statu Religionis noſtræ, in notabili ſeptimo explicatc. Nam, cùm indefinitè loquantur, utique, ſi necdum inveniant apud Religioſos debitam ac requiſitam mobilium communitatem, ſed antiquam adhuc quaſi peculiaritatem, ſic juſtè diſponunt de peculiaribus his relictis. Quæ tamen pariformiter & univerſaliter locum habere nequeunt pro ſecundo Statu notabilis ſeptimi, & primo ſenſu notabilis quinti.

℞. 3. Si Religioſus noſtri Ordinis extra nativum Conventum moreretur in alio, in quo eſt de familia: & poſt mortem ejus adveniret aliquod legatum pium in favorem talis Religioſi (ex neſcientia legantis, quòd ille jam mortuus ſit) & tamen heredes velint, quòd Ordinis Conventui applicandum ſit, id videtur totum applicandum Conventui nativo, & ita à me reſolutum, ac practicatum fuit in certo caſu. *Ratio eſt*; quia tunc ceſſat conditio addita in S. Conſtitutionibus Urbanis, hæc ſcilicet, *quæ apud ſe tunc haberet:* Proinde tale legatum non debet dividi inter duos Conventus. Occaſio tale quid faciendi dum ſe mihi offerret, putavi me obligatum ad ita faciendum. Reſponſio ergo videtur etiam locum habere in omni caſu, in quo talis Religioſus moriens non cenſetur *apud ſe habere aliquid*, id eſt, non

habere in proxima facultate uſus-facti. Hæc dixerim, ſalvo meliori judicio.

Ex his ergo peculiariſta nequit generale & indefinitum patrocinium accipere pro ſe: ideoque manent vera, quæ in priori quæſtione reſoluta ſunt. Sed occaſione reſolutorum in hac, & priori quæſtione, movetur ulteriùs controverſia; pro qua expedienda ſit

Quæſtio VI.

Quomodo intelligendus textus S. Conſtitut. Urbanarum in c. 3. Reg. tit. 20. §. 6. de diſcedentibus è Conventu in Conventum, de quibus ſic ibi ordinatur, & præcipitur: *Quapropter Superior Conventus, à quo quiſquam diſceſſerit, omnia, quæ ſecum detulerit, libros, veſtes, pecunias, etiam pro viatico tantummodo datas in ſchedula diligenter adnotabit; eamque ad Superiorem Conventus, ad quem is proficiſcitur, opportunè tranſmittat, cui idem Frater eorum omnium rationem reddere teneatur.* h. i.

Ex hoc textu peculiariſta ſibi jam tum ſpem facit, & hanc concluſionem erroneam, apud ſemetipſum dicens: ergò cuicumque Religioſo Ordinis noſtri fas eſt, in quantacumque quantitate (etiam *per ſe*, & *indefinitè* loquendo) libros, veſtes, pecuniam convaſare, conquirere, & conſervare pro ſe, ut poſſit ea de loco in locū, de Conventu in conventū ſecum tranſportare. Et maximè animatur, dū cit. textus videtur innuere per particulam hanc accumulativam *etiam*, quòd pecunia pro viatico danda ſit diſtincta ab alia pecunia; quam

quam itinerans conferet. NB. Sanè! res digna eſt riſu, at magis ploratu, quòd monacho pecunioſo cor mox ſaliat, ſi pecuniam nominari audiat; favorem ſui inde ſtatim expectat. At inſpiciamus penitiùs, an, & quodnam patrocinium ex hoc textu peculiariſtæ affulgeat. Itaque

R. 1. In primis ibi nulla fit mentio *peculij pecuniarij*, vel *depoſiti*, quaſi ſupponeretur talis Religioſus profecturus, illud prævié pro ſe corrogaſſe, aut lucratus fuiſſe, atque in communi ærario *pro ſe peculiariter* repoſitum & depoſitum, ſive ſeparatum ſive mixtum & confuſum habuiſſe, (& profectò talis confuſio phyſica pecuniarum inutiliter, immo ridiculè in Decreto ſuprà cit. præciperetur, ſi particularis Religioſus haberet aliqualem regreſſum ad illas, tunc enim potiùs deberent relinqui, & conſervari inconfuſæ, prout *in caſu* q. 3. ſuprà) NB. Immo in totis noſtris S. Conſtitut. Urbanis (ut patebit evolventi) nullibi fit mentio *privati depoſiti*, aut *peculij pecuniarij*, multò minùs permiſſionis ejus: & tamen, ſi idipſum habere, *per ſe & indefinitè* liceret Religioſis, cùm res ſit maximi momenti quoad conſcientias ex- vel onerandas, certè Conſtitutiones expreſsè alicubi meminiſſent, & apertè ac explicitè conceſſiſſent, ut ita conſcientiæ eſſent extra laqueum (cujus tamen planè contrarium patet ex prædictis quæſtionum notabilibus, & reſponſionibus.) Itaque ad ſalvandum textum cit. Conſtitut. Urbanarum, (quamvis non in favorem peculiariſtæ.)

R. 2.

R. 2. Poteſt ſæpe contingere, quòd, qui de Conventu in Conventum proficiſcitur, ibi habitaturus pro futuro, præter datum ſibi in pecunia viaticum à Superiore, alias ſecum licitè ferat pecunias, à Superiore extraditas de maſſa communi, (ſed clauſas obſignandas) v. g. pro novo habitu emendo in loco, ad quem venit, dum in priori loco (in quo jam tribus annis habitavit, ideoque de novo veſtiendus eſſet) ſtameta pro habitu non eſt venalis. *Item* lectori S. Theologiæ diſcedenti ad alium Conventum, ad quem elocatur, patronus Theſium dat pecuniarium honorarium, ut cum licentia Superioris ſe recreet cum Collega, vel antiquo bene noto Confratre. *Inſuper* Concionatori ob conciones laborioſas, vel auditas per aliquot dies confeſſiones ad obſequium R. D. Paſtoris & ovium; vel ex affectu gratitudinis pro obſequio, aut labore præſtito, offertur aliqua pecunia ab amico tunc, cùm diſceſſurus eſt ad alium Conventum. *Vel* cum ſimili licentia datur pecunia pro libro alibi emendo pro ſe, aut alio, vel pro debitis ſolvendis. Aut committitur ei pecunia in ſubſidium fabricæ, novi Organi, Altaris, ſtatuæ, aut picturæ, aut pro Sacris à Patribus ejuſdem Conventus (in quo eſt fortè miraculoſa imago, vel pro certo Defuncto, vel &c.) ex diſpoſitione P. Guardiani legendis; aut ex alio licito capite. Et ita ſufficienter ſalvatur, quòd talis Religioſus præter pecuniam viatici, alias pecunias ſecum ferat, non tamen in abſono ſenſu favente peculiariſtæ. NB. *Et hæc reſponſio*, explicatio, & conciliatio neutiquam eſt violenta, nec extorta; ſed ap-

apta, ſed accommoda, ſed plana, ſed aperta, & in aperta veritate fundata: maximè, cùm jura juribus, leges legibus univerſaliter loquentibus, ut in uno eodemque Codice concordent, conciliari debeant, ne appareat ulla contradictio; quod ipsũ hic fit, prout unusquisque videre & palpare poteſt, ſi rationis oculis ac manibus non careat (niſi tamen in errore voluntariè pertinaciter ſtare voluerit.)

R. 3. Cùm pecuniæ tales (juxta cit. textum) ſint à priore Superiore in Schedula adnotandæ, & Frater earum lator omnium illarum rationem reddere teneatur, ita, ut ſi deliquiſſe reperiatur, graviter à Superiore corrigatur; certè inde liquet, quòd talis nihil juris, aut peculiaritatis, aut attinentiæ *excluſivæ* habeat ad talem pecuniam contra Superiorem; cùm ſit merus quaſi adminiſtrator, aut quaſi equus bajulus avenæ, quâ poſtea per alium ſcilicet Dominum ſeu herum paſcatur. Hinc etiam dicitur lc. *Nulli verò pecuniam, quam ſecum in itinere defert, quovis etiam modo collectam, in rem ullam absque Superioris licentia, niſi in neceſſitatibus in via occurrentibus impendere liceat.* h. i. Per quæ verba arcetur omnis peculiaritas pecuniarum, dum nimirum ſemper adeſſe debet continua dependentia à licentia Superioris in expendenda illa, utpote quaſi re aliena, & ſibi nullatenus propriâ, aut appropriatâ; quæ licentia rationabiliter præſumitur, ſi *pro neceſſitatibus in via occurrentibus* frugaliter & rationabiliter expendatur.

NB. *Ex his ſequitur*, quòd per hanc Superioris licentiam, ſeu voluntatem debeat priùs conventui incorporari, id eſt, de menſa communi fieri omne id, quod accipit religioſus, & ut eo poſtmodum licitè utatur. Quod non tantùm de pecunia, veſtibus, ſed etiam de eſculentis & poculentis intelligendum eſt (ſufficit tamen ſubinde tacita, vel rationabiliter præſumpta.) Quod clarè exprimitur in Conſtit. Urban. in c. 3. Reg. Tit. 17. §. 9. ubi dicitur: *quòd ſi eorum aliqui* (qui ſunt Theologi, vel Confeſſarii Cardinalium, Epiſcoporum, & Prælatorum) *ab hujuſmodi Principibus & Prælatis, eorum quæ ad victum pertinent, portionem acciperent; pro ea parte, quæ ſibi à conventu debetur, computanda erit: eâque, acſi à conventibus reciperetur, & non alia portione, nec alio modo, niſi aliter Superiori placuerit, utantur.* h. i. Ubi clarè exprimitur, quòd portio à Magnatibus tranſmiſſa ſit reputanda, quaſi à conventu ipſomet daretur tali religioſo; & per juris fictionem cenſetur verè & propriè ab ipſomet conventu dari, utpote cui prævìè (ſaltem prioritate naturæ ſeu juris) cenſetur incorporata, adpropriata; proinde talis religioſus nunquam in talem portionem accipit jus peculiaritatis contra conventum ſeu Superiorem ſuum; attamen habet jus quoddam exigentiæ indeterminatum vel in hanc, vel aliam portionem, neceſſariam pro alimentatione ſuæ naturæ. &c.

Ex quo etiam non obſcurè deducitur, quòd, ſi religioſus aliunde habeat ſufficientes pecunias pro ſolvendis veſtimentis, medicinis, conficiendis itineri-

neribus &c. nec velit eas conventui incorporare, conventus tunc minimè teneatur illa illi ſuppeditare. *Ratio eſt*; quia ſolùm tenetur egentibus, non verò habentibus ſufficientia ſuccurrere: nec poteſt licitè fovere vitia ſubditorum, ſeu peculiaritatem proprietariam illorum. Nec ille meretur Religionem habere Matrem ſeu Nutricem, qui ſe infidelem exhibet filium, immo quaſi furem Religionis, dum arrogat ſibi tamquam peculiare, quod tamen deberet omnibus eſſe commune.

R. 4. Quia lc. §. 11. ulteriùs ſtatuitur: *Fratres omnes, cùm ad aliquem noſtri Ordinis conventum, ſive peregrinationis, vel itineris, ſive negotiationis causâ pervenerint -- ſi ſupra hunc terminum* (biduum, vel triduum) *productior fuerit mora; omnem pecuniam, quam ſecum detulerint, apud Depoſitarium, ſive Procuratorem conventûs fideliter deponere teneantur*. h. i. Ex hoc colligitur, quòd hæc legis diſpoſitio eò collimet, ut non tantùm titulus, ſed etiam ſpecies proprietatis, aut noxiæ peculiaritatis præſcindatur. Dicitur hinc etiam notanter *detulerint*, ut iterum inſinuetur, quòd nil plus juris aut attinentiæ habeant ad illam pecuniam, quàm bajulus (licèt in hoc ſit adhuc aliqua diſparitas; quia ſaltem eſt pars communitatis illius, ſub cujus dominio eſt illa pecunia, &c.)

R. 5. Conformiter dictis in *l. de S. Communitate*. Poteſt utique peculium pecuniarium, juſtâ de causâ, cùm debita moderatione & reſtrictione à Superiore concedi Religioſo particulari, ad actum tranſeuntem, vel quaſi tranſeuntem: & quidem ſecuriùs in Monaſteriis fundatis, ſeu aliàs

ſuf-

ſufficienter aliunde provisis, à quibus proinde omnia neceſſaria in ſufficientia commodè ſuppeditari poſſunt Religioſis particularibus, ubi hinc non eſt periculum degenerationis, ſeu iteratæ diſceſſionis, aut relapsûs à vita communi, quàm in monaſteriis non ita fundatis; aut non ſimiliter proviſis; in quibus proinde communitas ex ſingulorum laboribus, induſtriis, & collectis debet inſtaurari, ut ſubſiſtat. *Rationem hujus vide* lc.

At, quòd ſinguli Religioſi ſinantur in particulari quiſque pro ſuis neceſſariis ſolicitam curam gerere, ideoque ſuo periculo, lucro, & damno in incertum quaſi vivere, inſtar hominis ſæcularis, peculia quantacumque & undecumque conquirere, conſervare, expendere, transferre &c. id mihi ſemper damnabile, & exitiale viſum fuit (*per ſe loquendo.*) Si quis aliter & meliùs in hoc ſapere voluerit, ipſum libenter audire cupio, licèt ex Cathedra non loquatur inſtar Summi Pontificis; ſed nec hic, credo, patrocinabitur illi; prout habetur ex authenticis, Româ advenientibus relationibus. O! ſi piiſſima paterna intentio, & Sanctiſſima vota Sanctiſſimi D. N. INNOCENTII XII. adimplerentur, & ab omnibus Regularibus, prout par eſſet, obedienter, reverenter, & libenter acceptarentur! profectò apud omnes Regulares eſſet vita exactè communis, ſimul & pax angelica inter illos; & plus boni ſinguli Regulares efficerent, magiſque fructificarent ſibi, & animarum ſaluti, ac ampliandæ gloriæ Dei.

R. 6. Certas veſtes, libros quoque, & alia ad uſum particularem concedere quoque poſſunt

Sù-

Superiores in Ordine noſtro, maximè ſi illa ſpeciali induſtria, aut ob certum laudabilem, vel neceſſarium finem ipſimet hi Religioſi utentes procurârint; hinc & licentiam dare in caſu huic vel illi, illa conferendi de loco in locum (quamvis cautè hoc practicandum ſit, ut arceatur gravioris relapſus & prioris deformationis periculum.) *Ratio eſt*; quia in hoc nil inordinati reperitur etiam apud reformatas Religiones. Sed generalis licentia quoad talia, quoad modum, quoad perſonas quaſcumque ſine limitatione, reprobanda eſt tam in dante, quàm in admittente (*per ſe loquendo.*) Et præſtare videtur, quòd talis licentia transferendi de loco ad locum talia mobilia, generaliter præſcindatur, vel negetur, ut ex hoc quoque capite retrahantur particulares Religioſi, & abſterreantur; ne ſtudeant ſibi privatim talia idola procurare; utpote quæ pro placito libertatis ſuæ colere, & ſecum ferre neutiquam tunc permitterentur. Ergo contemptis, calcatis, confuſis his pecuniariis Idolis, moneo te Confrater Chariſſime, cum S. P. N. Franciſco in Domino noſtro JESU Chriſto: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* S. Bonavent. in c. 3. Vitæ S. P. N. Franciſci §. 6. ex Pſalmo 54. 23. Nam tota S. P. N. Franciſci Oeconomia conſiſtebat in duobus, ſcil. 1. in vitæ Sanctæ ſtudio. 2. In ſpe firmiſſima de Deo. *Sicque factum eſt, ut inopiam quam pecuniâ relevare non poterant, Franciſci pauperis opulenta ſuppleret.* Vitæ S. P. c. 7. §. 9.

VOTUM FILIALE

ad Seraphicum Patrem

S. FRANCISCUM

O Patriarcha Pauperum *Franciſce* ! tuis precibus auge tuorum numerum in charitate Chriſti, quos cancellatis manibus cæcutiens ùt moriens Jacob bene ✠ dixiſti. Tuis àdſta poſteris *Pater Franciſce* miſeris, nam increſcunt gemitus ovium tuarum. Ex *Officio, & Miſſa Feſti.* Doce nos vincere, ne malitia & *fel mundi vincat* Sapientiam Chriſti : ſed potiùs gloriemur tecum, quòd

PROGRAMMA.

Funes ceciderunt mihi in præclaris. *Pſ.* 15. 6.

ANAGRAMMA.

Cernis ! Seraphin fel acre mundi vicit.

CA-

CATENA AUREA

Virtutum evangelicarum, ac aliarum dotum eximiarum, quæ in Seraphici Patris Noſtri S. FRANCISCI Ordin. Minorum Fundatoris mirabili vita proponuntur Fratribus ejus ſequacibus tum ad admirationem, tum ad devotionem, tum ad ferventem imitationem: contexta ex Vita ejuſdem, prout devotè & ſimpliciter concinnatâ à Doctore Seraphico S. Bonaventura, ejuſdem Ordinis Profeſſore, ejuſdemque Seraphici Patris ferventiſſimo ſequaci ✠

Titulus primus.

De converſione S. P. N. Franciſci, & profectu in virtutibus.

I. VIr erat in civitate Aſſiſij FRANCISCUS nomine, cujus memoria in benedictione eſt: pro eo, quòd Deus ipſum in benedictionibus dulcedinis benignè præveniens, & de præſentis vitæ periculis clementer eripuit, & cæleſtis gratiæ donis affluenter implevit. *S. Bonav. in vita S. P. N. Franciſci c. 1. §. 1.*

II. Manſuetudinis lenitas, cum elegantia morum, patientia, & tractabilitas ſupra humanum modum, munificentiæ largitas ultra ſuppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adoleſcens *Franciſcus* certis florere conſpiciebatur indiciis, quædam videbantur eſſe præludia, quòd copioſior ſuper eum foret in poſterum divinæ benedictionis abundantia diffundenda. *Ibidem* §. 2.

III. Quia ſpirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio; facta eſt ſuper eum manus Domini, & immutatio dexteræ Excelſi, diutinis languoribus ipſius corpus affligens, ut coaptaret animam ad S. Spiritûs unctionem. *Ibidem* §. 3.

IV. Cùm autem ex frequenti orationis uſu flamma deſiderii cæleſtis in eo vehementer ſucreſceret, & jam pro amore ſupernæ Patriæ terrena omnia deſpiceret quaſi nihil; theſaurum ſentiebat ſe repeiſſe abſconditum, ac velut prudens negotiator margaritam inventam excogitabat venditis omnibus comparare. Adhuc tamen qualiter id ageret, ignorabat: niſi quia ipſius ſuggerebatur ſpiritui, quòd ſpiritualis mercatio à mundi contemptu ſumat initium, Chriſtique militia ſit à ſui ipſius victoria inchoanda. *Ibidem* §. 4.

V. Dum unâ dierum ſequeſtratus oraret, & præ nimietate fervoris totus eſſet abſorptus in Deum, apparuit ei Chriſtus JESUS velut Cruci confixus. Ad cujus conſpectum liquefacta eſt anima ejus: & memoria Paſſionis Chriſti viſceribus cordis ipſius adeo impreſſa medullitus, ut ab illa hora, cùm Chriſti crucifixio veniret in mentem, vix poſſet à lacrymis & gemitibus exterius

teriùs contineri. - Induit ex tunc ſpiritum paupertatis, humilitatis ſenſum, & affectum intimæ pietatis. *Ibidem* §. 6.

VI. Pauperibus mendicantibus non ſolùm ſua, verùm etiam ſe ipſum cupiebat impendere: aliquando veſtimenta eruens, aliquando diſſuens, aliquando ſcindens, ad largiendum eis, cùm præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam Pauperibus reverenter ſubveniebat & piè, præcipuè in ornamentis Altaris; quò & cultus divini particeps fieret, & cultorum inopiæ ſupplementa præberet. *Ibidem* §. 6.

VII. Tentabat deinde Pater carnis Filium gratiæ *Franciſcum*, pecuniâ jam nudatum ducere coram Epiſcopo civitatis, ut in ipſius manibus facultatibus renuntiaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat. Ad quod faciendum ſe promptum exhibuit verus paupertatis amator. Perveniensque coram Epiſcopo nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba exſpectat, nec facit; ſed continuò depoſitis omnibus veſtimentis, reſtituit ea Patri. (Inventus eſt autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem ſub veſtibus delicatis) inſuper ex admirando fervore ſpiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem: uſque nunc vocavi te patrem in terris, amodo autem ſecurè dicere poſſum: *Pater noſter, qui es in cælis*, apud quem omnem theſaurum, & omnem ſpei fiduciam collocavi. - - Sic igitur ſervus Regis Altiſſimi nudus relictus eſt, ut nudum ſequeretur Crucifixum Dominum, quem amabat. *c.* 2. §. 4.

VIII. Exinde totius humilitatis amator *Franciſcus* ſe tranſtulit ad leproſos, eratque cùm eis, diligentiſſimè ſerviens omnibus propter Deum: lavabat ipſorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem, & ſaniem abſtergebat. Oſculabatur etiam ex miranda devotione ulceroſas plagas ipſorũ evangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam eſt à Domino conſecutus virtutem, ut in ſpiritalibus & corporalibus morbis mirabiliter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret. *c. 2. §. 5.*

IX. Fundatus jam in Chriſti humilitate *Franciſcus*, depoſitâque omni verecundiâ, propter amorem pauperis Crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare ſolebat: debile corpus attritum jejuniis, oneribus lapidum ſupponendo, *ut tres Eccleſias repararet, videlicet S. Damiani, S. Petri, & S. MARIÆ Angelorum, quæ & dicitur PORTIUNCULA. c. 2. §. 7.*

X. In Eccleſia igitur Virginis Matris Dei (*MARIÆ Angelorum*) moram faciente ſervo ipſius *Franciſco*, & apud eam, quæ concepit *Verbum* plenum gratiæ & veritatis, continuis inſiſtente gemitibus, ut fieri dignaretur Advocata ipſius; meritis matris miſericordiæ concepit ac peperit ſpiritum evangelicæ veritatis. *c. 3. §. 1.*

XI. Cœpit ex hoc Apoſtolicæ paupertatis amicus vir Dei *Franciſcus* divino inſtinctu, evangelicæ perfectionis æmulator exiſtere: & ad pœnitentiam ceteros invitare. Erant autem ipſius eloquia non inania, nec riſu digna, ſed virtute Spiritus Sancti plena, medullas cordis penetrantia,

tia, ut in vehementem ſtuporem audientes converterent. *Ibidem.*

XII. Converſus ad Fratres vir Dei *Franciſcus* ait: Confortamini chariſſimi & gaudete in Domino; nec, quia pauci eſtis, efficiamini triſtes; neque vos terreat mea vel veſtra ſimplicitas: quoniam ſicut mihi à Domino in veritate oſtenſum eſt, in magnam multitudinem faciet nos Deus creſcere, ſuæque bene ✠ dictionis gratiâ multipliciter dilatabit. *c.* 3 §. 5.

XIII. Jam ſterilis & paupercula ſimplicitas S. Patris *Franciſci* pepererat ſeptem filios: & deſiderabat univerſitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta vocatam Chriſto Domino parturire. Ite, inquit dulcis Pater ad Filios, annunciantes hominibus pacem; prædicate pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Eſtote in tribulationibus patientes in orationibus vigiles, in laboribus ſtrenui, in ſermonibus modeſti, in moribus graves, & in beneficiis grati: quia pro his omnibus regnum vobis præparatur æternum. *Ibid. c.* 6.

XIV. Non eſt formidandum, quòd fame pereant æterni Regis Filii & heredes, qui ad imaginem Regis Chriſti per Spiritus Sancti virtutem de paupere Matre nati, & ipſi per ſpiritum paupertatis ſunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex cælorum imitatoribus ſuis regnum promittit æternum; quantò magis illa ſubminiſtrabit, quæ communiter largitur bonis & malis? *Ita ajebat S. P. Franciſcus ad INNOCENTIUM III. S. P. c.* 3. §. 8.

XV. Cognoſcentes autem pauperes Fratres,

ſupernum ſibi in comitatu viri Dei *Franciſci* adeſſe præſidium, magis dono liberalitatis divinæ, quàm cibo carnis propriæ ſunt refecti. Inſuper divina conſolatione repleti ſtatuerunt firmiter, & irrevocabiliter confirmaverunt, nullius inediæ aut tribulationis impulſu à Sanctæ Paupertatis reſilire promiſſo. *c.* 4. *n.* 1.

XVI. Chriſti ſervus *Franciſcus* ſupernæ revelationis illuſtratus oraculo, intellexit ſe ad hoc miſſum à Domino, ut Chriſto lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus, quàm ſibi ſoli, vivere prælegit, illius provocatus exemplo, qui unus pro omnibus mori dignatus eſt. *ibidem* §. 2.

XVII. Recollegit itaque ſe vir Dei cum ceteris Sociis, in quodam tugurio derelicto juxta civitatem Aſſiſii: in quo ſecundùm S. Paupertatis formam, in labore multo, & inopia victitabant, magis lacrymarum quàm deliciarum panibus refici ſatagentes. Vacabant enim ibidem divinis precibus inceſſanter, mentaliter potiùs quàm vocaliter, ſtudio intendentes orationis devotæ .-- Librum Crucis Chriſti continuatis affectibus, diebus ac noctibus revolvebant, exemplo Patris & eloquio eruditi, qui jugiter faciebat eis de Cruce Chriſti ſermonem. *ibidem* §. 2.

XVIII. Cùm patefaceret plurima, quæ ſenſum tranſcendebant humanum, verè cognoverunt Fratres ſuper ſervum ſuum *Franciſcum* Spiritum Domini in tanta plenitudine quieviſſe, quòd poſt ipſius doctrinam & vitam erat eis proficiſci tutiſſimum. *ibidem* §. 4.

XIX.

XIX. Puſilli Gregis Paſtor *Franciſcus* videbatur intuentibus homo alterius ſæculi, quippe qui mente ac facie in cælum ſemper intentus, omnes ſurſum trahere conaretur. *ibidem* §. 5.

XX. Faciebat Sancta Paupertas, quam ſolam deferebant Filii S. P. *Franciſci* Pauperculi pro ſumptibus, ipſos ad omnem obedientiam promptos, robuſtos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, ſecuri erant ubique, nullo pavore ſuſpenſi, nullâ curâ diſtracti, tamquam qui abſque mentis turbatione vivebant, & ſine ſolicitudine diem craſtinum, & ſerotinum hoſpitium expectabant. *ibidem* §. 6.

XXI. Multa quidem eis in diverſis partibus orbis inferebantur convitia tamquam perſonis deſpicabilibus & ignotis. Verùm amor Evangelii Chriſti adeo ipſos patientes effecerat, ut quærerent potius ibi eſſe, ubi perſecutionem paterentur in corpore, quàm ubi, cognitâ ſanctitate ipſorum, mundano poſſent gloriari favore. Ipſa quoque rerum penuria ſuperabundans eis videbatur ubertas: dum juxta conſilium Sapientis (Eccl. 29. 30.) *Pro magno ipſis minimum complacebat. ibidem* §. 7.

Titulus ſecundus.

Heroicarum virtutum ſectator S. P. Noſter Franciſcus

I. VIR Dei *Franciſcus* attendens illud Apoſtoli Verbum: *qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & con*

concupiſcentiis, ut Crucis armaturam ſuo ferret in corpore, tantâ diſciplinæ rigiditate ſenſuales appetitus arcebat, ut vix neceſſaria ſumeret ſuſtentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat, neceſſitati corporis ſatisfacere, & pronitati ſenſuum non parêre. -- Sicque ſeipſum auſterum ſibi, humanum proximo, ſubjectum evangelio Chriſti per omnia reddens, non ſolùm abſtinendo, verùm etiam manducando præbebat ædificationis exemplum. *c.* 5. §. 1.

II. Interrogatus aliquando, quomodo veſtitu tam tenui ſe poſſet ab hiemalis algoris aſperitate tueri, in ſpiritus fervore reſpondit: ſi ſupernæ patriæ flammâ per deſiderium contingeremur interiùs, frigus iſtud exterius facile portaremus. Veſtis horrebat mollitiem, aſperitatem amabat -- experientiâ enim certâ didicerat, dæmones aſperitate terreri, delicioſis autem & mollibus ad tentandum fortiùs animari. *Ibidem* §. 2.

III. Rigidus in diſciplina ſuper cuſtodiam ſuam ſtabat: curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate ſervanda. Quapropter circa converſionis ſuæ primordia, tempore hiemali in foveam glacie plenam ſeipſum plerumque mergebat, ut & domeſticum ſibi hoſtem perfectè ſubigeret, & candidum veſtimentum pudoris à voluptatis incendio præſervaret. Tolerabilius viro ſpirituali fore incomparabiliter aſſerebat, magnum ſuſtinere frigus in carne, quàm ardorem carnalis libidinis vel modicum ſentire in mente. *Ibidem* §. 3.

IV. Otium autem omnium malarum cogitatio-

tionum ſentinam docebat ſummopere fugiendum: exemplo demonſtrans, rebellem carnem & pigram diſciplinis continuis, & fructuoſis laboribus eſſe domandam. Unde corpus ſuum Fratrem aſinum appellabat, tamquam laborioſis ſupponendũ oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. *Ibidem* §. 4.

V. Si quem verò cernebat otioſum & vagum aliorum velle manducare labores, Fratrem muſcam nominandum cenſebat, eò quòd talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem ſe omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: Volo Fratres meos laborare & exercitari; ne otio deditiper illicita corde & linguâ vagentur. *Ibidem* §. 5.

VI. Evangelicum volebat à Fratribus obſervari ſilentium, ut videlicet ab omni otioſo verbo omni tempore abſtinerent ſolicitè, tamquam reddituri in die judicii de hujuſmodi rationem. Sed etſi quem inveniſſet Fratrem verbis aſſuetum inanibus, acriter arguebat, taciturnitatem modeſtam & puri cordis affirmans cuſtodiam, & non modicam eſſe virtutem. *Ibidem* §. 5.

VII. Licèt autem pro viribus ad vitam auſteram Fratres induceret, non tamen ei placebat diſtrictionis ſeveritas, quæ pietatis non induit viſcera, nec eſt diſcretionis ſale condîta. *Ibidem* §. 6. Ad tantam pervenerat puritatem, ut caro ſpiritui, & ſpiritus Deo harmonia mirabili concordarent. *Ibidem* §. 8.

VIII. Omnium virtutum cuſtos & decor humilitas copioſâ virum Dei ubertate repleverat. In pro-

propria quidem reputatione nihil erat niſi peccator, cùm in veritate ſpeculum eſſet, & ſplendor omnimodæ ſanctitatis. Super hanc ſtuduit ædificare ſeipſum, ut ſapiens architectus fundamentum præjaciens, quod à Chriſto didicerat. Sed & verbum hoc dicere ſolitus erat: quantum homo eſt in oculis Dei, tantum eſt, & non plus. *Cap.* 6. §. 1.

IX. Ut autem pluribus modis negotiator hic Evangelicus *Franciſcus* lucraretur, ac totum præſens tempus conflaret in meritum, non tam præeſſe voluit, quàm ſubeſſe, nec tam præcipere, quàm parêre. Idcircò Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia ſubjaceret. Tam enim uberem afferebat ſanctæ obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ipſius colla ſubmitterent, nil temporis ſine lucro tranſiret. Unde & Fratri, cum quo erat ſolitus ire, ſemper obedientiam promittere conſueverat, & ſervare. *Ibidem* §. 4.

X. Dixit aliquando ſociis: inter alia, quæ dignanter pietas divina conceſſit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter Novitio unius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſſimo & diſcretiſſimo Fratri. Subditus, inquit, Prælatum ſuum non hominem conſiderare debet, ſed illum, pro cujus amore eſt ſubjectus. Quantò enim contemptibilior præſidet, tantò magis humilitas obedientis placet. *Ibidem* §. 4.

XI. Cum vice quadam quæreretur ab eo, quis eſſet verus obediens judicandus; corporis mortui ſimilitudinem pro exemplo propoſuit. Tolle,

in-

inquit, corpus exanime, & ubi placuerit, pone: videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum. Quòd ſi ſtatuatur in cathedra, non alta ſed ima reſpicie; ſi collocetur in purpura, duplò palleſcet. Hic, ait, verus obediens eſt, qui, cur moveatur, non dijudicat; ubi locetur, non curat; ut tranſmutetur, non inſtat; evectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem; plùs honoratus plus reputat ſe indignum. *Ibidem* §. 5.

XII. Addebat: in prælatione caſus, in laude præcipitium, in humilitate ſubditi animæ lucrum eſt: cur ergo periculis plùs quàm lucris attendimus, cùm acceperimus tempus ad lucrum? *Ibidem* §. 5. Hac igitur de cauſa, humilitatis forma *Franciſcus* Fratres ſuos voluit vocari Minores, & Prælatos ſui Ordinis dici Miniſtros, ut & verbis uteretur Evangelii, quod obſervare promiſerat; & ex ipſo nomine diſcerent diſcipuli ejus, quòd ad diſcendum humilitatem ad ſcholas humilis Chriſti veniſſent. *Ibidem* §. 6.

XIII. *Ad tempus commoratus in aula alicujus Cardinalis, & ideo verberatus à Diabolis*, *ait ad ſocium*: meliùs judico, eum, qui ponitur in exemplum, fugere curias, & humiliter inter viros in locis converſari humilibus; ut ſuſtinentes penuriam fortes efficiat, ſimilia ſuſtinendo. *c. 6. §. 10.*

XIV. Abhorrebat Vir Sanctus ſuperbiam omnium malorum originem, & inobedientiam ipſius peſſimam prolem: ſed non minùs humilitatem pœnitentiæ acceptabat. *Ibidem §. 11.*

XV. Inter cetera chariſmatum dona, quæ à largo

largo datore *Franciſcus* obtinuit, prærogativa quadam ſpeciali promeruit in divitias ſimplicitatis excreſcere per altiſſimæ paupertatis amorem. Hanc Filio Dei vir Sanctus familiarem attendens, & jam quaſi toto orbe repulſam, charitate ſtuduit deſponſare perpetua. Nemo tam auri, quàm ipſe cupidus paupertatis: nec theſauri cuſtodiendi ſollicitior ullus, quàm iſte hujus evangelicæ margaritæ. In hoc præcipuè ſuus offendebatur aſpectus, ſi quidquam videret in Fratribus, quod paupertati non per omnia conſonaret. *c.* 7. §. 1.

XVI. Chriſti JESU paupertatem, & Matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem: inde hanc virtutum aſſerens eſſe Reginam, quia in Rege Regum, & in Regina Matre ipſius tam præſtanter effulſit. Nam & Fratribus in conclavi quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Chriſto; quaſi ſecretum ſui cordis aperiens, reſpondebat: Paupertatem noveritis Fratres ſpecialem eſſe viam ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus eſt fructus multiplex, ſed occultus. -- Ad cujus, inquit, culmen qui cupit attingere, non ſolùm mundanæ prudentiæ, verùm etiam literarum peritiæ renuntiare quodammodo debet, ut tali expropriatus poſſeſſione, introëat in potentias Domini, & nudum ſe offerat brachiis crucifixi. Nequaquam enim ſæculo perfectè renuntiat, qui proprii ſenſus loculos intra cordis arcana reſervat. *Ibidem.*

XVII. *Paupertatis oſorem alloquebatur his verbis*: Vade viam tuam Frater muſca: - - incepiſti à carne; ruinoſum fundamentum ſpiritali fa-

fabricæ collocaſti. *Ibidem* §. 3. Ad *alium Fratrem Vir Sanctus ajebat* : Abſit à nobis, Frater chariſſime, ut pro quovis homine impiè agamus in Regulam. Malo, te Altare Virginis glorioſæ nudare, quàm contra paupertatis votum, & obſervantiam Evangelii aliquid vel modicum attentare. *Ibidem* §. 4.

XVII. Dixit Vir Sanctus ad ſocium : Pecunia ſervis Dei, ô Frater, nihil aliud eſt, quàm Diabolus, & coluber venenoſus. *Ibidem* §. 5. Evangelicæ perfectionis formoſitas, quantum ad caſtitatem ſcilicet, obedientiam, & paupertatem, ſatis convenienter oſtenditur in viro Dei pari forma perfectè fulſiſſe; licèt gloriari prælegerit in privilegio paupertatis, quam modò Matrem, modò ſponſam, modò Dominam nominare ſolebat. *Ibidem* §. 6.

XIX. Beneplacitum eſt Domino in paupertate, & eâ maximè, quæ voluntaria pro Chriſto mendicitas eſt. *Ibidem* §. 7. *ajebat idem S. P. N. Franciſcus.*

Titulus tertius.

Admirabilis zelus animarum, & mors beata S. P. N. Franciſci.

I. Pietas vera, quæ ſecundùm Apoſtolum ad omnia valet, adeo cor *Franciſci* repleverat, ut totum videretur Virum Dei in ſuum do-

dominium vendicaſſe. Hæc eſt, quæ ipſum per devotionem ſurſum agebat in Deum, per compaſſionem transformabat ad Chriſtum, per condeſcenſionem inclinabat ad proximum, & per univerſalem conciliationem ad ſingula, refigurabat ad innocentiæ ſtatum. *c.* 8. §. 1.

II. Qui Religionem ſacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus graviſſimam incurrebant ſententiam. A te Domine, inquit, Sanctiſſime, & à tota cæleſti curia, & à me parvulo tuo ſint maledicti, qui ſuo malo exemplo confundunt & deſtruunt, quod per Sanctos Fratres Ordinis hujus ædificaſti, & ædificare non ceſſas. *Ibidem* §. 2.

III. Cùm autem ſemel malis turbatus exemplis anxio Spiritu miſericordem Patrem precaretur pro filiis: reſponſum hujuſmodi reportavit à Domino; Cur tu pauper homuncio conturbaris? an ego te ſuper Religionem meam ſic Paſtorem inſtitui, ut me principalem neſcias eſſe Patronum? hominem ſimplicem ad hoc te conſtitui, ut, quæ in te fecero, non humanæ induſtriæ, ſed ſupernæ gratiæ adſcribantur. Ego vocavi, ſervabo, & paſcam, & aliis excidentibus alios ſubrogabo; ita ut ſi nati non fuerint, faciam illos naſci. Et quantiſcumque fuerit impulſibus paupercula hæc concuſſa Religio, ſalva ſemper meo munere permanebit. *Ibidem* §. 2.

IV. Detractionis quoque vitium inimicum fonti pietatis & gratiæ, tamquam ſerpentinum abhorrebat morſum, & atrociſſimam peſtem, & piiſſimo Deo abominabile fore affirmabat, pro

eo,

eo, quòd detractor animarum ſanguine paſcitur, quas gladio linguæ necat. -- Tantò major eſt, ajebat, detractorum impietas, quàm latronum, quantò lex Chriſti, quæ in obſervantia pietatis impletur, magis animarum quàm corporum nos adſtringit optare ſalutem. *Ibidem* §. 3.

V. Afflictis qualicumque corporis moleſtiâ mira compaſſionis teneritudine condeſcendens: ſi quid penuriæ, ſi quid defectus in aliquo cerneret, piâ cordis dulcedine regerebat in Chriſtum. ſanè clementiam habebat ingenitam, quam ſuperinfuſa Chriſti pietas duplicabat. Itaque liqueſcebat animus ejus ad pauperes & infirmos: & quibus non poterat manum, exhibebat affectum. -- Dulciter Pater adjecit: dum pauperem vides ô Frater, ſpeculum tibi proponitur Domini, & pauperis Matris ejus; In infirmis ſimiliter infirmitates, quas aſſumpſit, conſidera. *Ibidem* §. 4.

VI. Nulli prorſus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis Altaris; quin omnia hæc dum poſſet, ut pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. Pluries cùm oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus ſupponebat. *Ibidem* §. 4.

VII. Piè igitur ſentiendum eſt de pietate *Viri Beati*, quæ tam miræ dulcedinis & virtutis fuit, ut damnaret ferocia, domeſticaret ſilveſtria, manſueta doceret, & brutorum naturam homini jam lapſo rebellem ad ſui obedientiam inclinaret. Verè hæc eſt, quæ cunctas ſibi creaturas confœderans

valet ad omnia, *promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* 1. Tim. 4. 8. *Ibidem* §. 12.

VIII. Charitatem ferventem, quâ Sponſi amicus *Franciſcus* ardebat, quis enarrare ſufficiat? totus namque quaſi quidam carbo ignitus, divini amoris flammâ videbatur abſorptus. Subitò enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quaſi plectrô vocis extrinſecæ chorda cordis interior tangeretur --- De omnibus ſibi ſcalam faciens, per quam conſcenderet ad apprehendendum eum, qui eſt deſiderabilis totus. *c.* 9. §. 1.

IX. Chriſtus Jesus Crucifixus intra ſuæ mentis ubera ùt myrrhæ faſciculus jugiter morabatur; in quem optabat per exceſſivi amoris incendium totaliter transformari. --- Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo illam cariſſimam dignationem, & dignantiſſimam charitatem. Sæpe communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret; dum ad immaculati Agni deguſtationem ſuavem, quaſi ſpiritu ebrius in mentis ùt plurimùm rapiebatur exceſſum. *Ibidem* §. 2.

X. Matrem Domini noſtri JESU Chriſti indicibili complectebatur amore, eò quòd Dominum Majeſtatis Fratrem nobis effecerit, & per eam ſimus miſericordiam conſecuti. In ipſa poſt Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui ac ſuorum Advocatam conſtituit. *Ibidem* §. 3.

XI. Non habebat aliud Chriſti pauper, niſi duo minuta, corpus ſcilicet & animam, quod

poſſet

poſſet liberali charitate largiri. Sed hæc per amorem Chriſti ſic offerebat continuè; ut quaſi omni tempore per rigorem jejunii corpus, & per ardorem deſiderii ſpiritum immolaret: exteriùs in atrio ſacrificans holocauſtum, & in templo interiùs concremans Thymiama. Sic autem eum charitatis exceſſiva devotio ſurſum in divina ferebat, ut ejuſdem affectuoſa benignitas ad naturæ conſortes & gratiæ dilataret. *Ibidem* §. 3.

XII. Non ſe Chriſti reputabat amicum, niſi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum eſſe dicebat; eo maximè probans, quòd unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in Cruce pendere. Hinc ſibi in oratione luctamen, in prædicatione diſcurſus, & in exemplis dandis exceſſus. Unde, quoties auſteritas nimia reprehenderetur in ipſo, reſpondebat ſe datum aliis in exemplum. *Ibidem* §. 3.

XIII. O verè Beatum Virum, cujus caro etſi tyrannico ferro non cæditur, occiſi tamen Agni ſimilitudine non privatur! O inquam, verè ac plenè Beatum, cujus Animam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit. *c.* 9. §. 7.

XIV. Sentiens Chriſti ſervus *Franciſcus* corpore ſe peregrinum à Domino; - - erat quidem oratio contemplanti ſolatium, - - erat èt operanti præſidium; dum in omnibus, quæ agebat, de ſua diffidens induſtria, & de ſuperna pietate confidens, per ipſius inſtantiam totum in Domino cogitatum jactabat. *c.* 10. § 1

XV. Orationis gratiam Viro religioſo deſi-

derandam ſuper omnia firmiter aſſerebat : nullumque credens ſine ipſa in Dei proſperari ſervitio ; modis quibus poterat, fratres ſuos ad ejus ſtudium excitabat. Nam ambulans & ſedens, intus & foris, laborans & vacans orationi adeo erat intentus; ut illi videretur non ſolùm quidquid erat in in eo cordis & corporis, verùm etiam operis & temporis dedicaſſe. c. 10. §. 1.

XVI. Nomen autem JESU cùm exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari, ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmonicus ſonus ipſius immutaſſet auditum. c. 10. §. 8.

XVII. Ad tantam autem mentis ſerenitatem, indefeſſum orationis ſtudium, cum continua exercitatione virtutum, Virum Dei perduxerat; ut, quamvis non habuerit ſacrarum literarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, ſcripturarum profunda mirô intellectus ſcrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium myſteriorum abſcondita : & ubi magiſtralis ſcientia foris ſtat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris ſacris : & quod animo ſemel injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ; quia non fruſtra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ devotionis ruminabat affectu. c. 11. §. 1.

XIX. *Senis quidam S. Theolog. Doctor religioſus, experimentum ſumens de S. P. Franciſci ſcientia, ajebat* : Verè Theologia Sancti Patris iſtius puritate & contemplatione tamquam alis in altum ſubvecta eſt aquila volans : noſtra verò ſcientia

ſcientia ventre graditur ſuper terram. *c.* 11. §. 2.

XX. Fidelis re verâ famulus & Miniſter Chriſti *Franciſcus*, ut cuncta fideliter & perfectè perageret, illis potiſſimè virtutum exercitiis intendebat, quæ, Sacro dictante Spiritu, Deo ſuo magis placere cognoverat. *Dicebat inſuper*: Unigenitus Dei Filius, qui eſt Sapientia ſumma, propter animarum ſalutem de ſinu Patris deſcendit - - *itaque* videtur Deo magis placitum, quòd, intermiſsâ requie, foras egrediar ad laborem, *ad prædicationem.* - - Non erubeſcebat à minoribus parva quærere verus Minor, qui magna didicerat à Magiſtro ſupremo. *c.* 12. §. 1.

XXI. Mos erat Angelico Viro *Franciſco* numquam otiari à bono; quin potius inſtar ſuperiorum ſpirituum in Scala Jacob aut aſcendebat in Deum, aut deſcendebat ad proximum. Nam tempus ſibi conceſſum ad meritum dividere ſic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laborioſis impenderet, aliud contemplationis tranquillis exceſſibus dedicaret. - - Tamquam ſervus fidelis & prudens inveſtigans beneplacitum Dei, cui ſe conformare omnimodè ſummo peroptabat ardore. *c.* 13. §. 1.

XXII. Chriſto jam igitur cruci confixus *Franciſcus* tam carne quàm ſpiritu, non ſolùm Seraphico amore ardebat in Deum, verùm etiam ſitiebat cum Chriſto crucifixo multitudinem ſalvandorum. - - Fratribus quoque dicebat: incipiamus Fratres ſervire Domino Deo noſtro, quia uſque nunc parum profecimus. - - Proponebat, Chriſto Duce, ſe facturum ingentia: & fatiſ-

centibus membris. Spiritu fortis & fervidus, novo ſperabat certamine de hoſte triumphum : neque enim languor vel deſidia locum habet, ubi amoris ſtimulus ſemper ad majora perurget. *c.* 14. §. 1.

XXIII. Ut autem Viro Dei cumulus meritorum accreſceret, quæ omnia verè in patientia conſummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti paſſionis dolore. Ad hoc tandem per varias & diuturnas, ac continuas ægritudines deductus eſt, ut conſumtis jam carnibus quaſi ſola cutis oſſibus cohæreret. Cùmque duris corporis angeretur doloribus, illas ſuas anguſtias non pœnarum cenſebat nomine, ſed ſororum. *c.* 14. §. 2.

XXIV. Licèt totus eſſet attritus gravis prolixitate languoris, projiciens ſe in terram, oſſa debilia duro caſu colliſit, & deoſculans humum, gratias, inquit, tibi ago Domine Deus de omnibus his doloribus meis: teque mi Domine rogo, ut centuplum, ſi tibi placuerit, addas : quia hoc erit mihi acceptiſſimum, ut affligens me dolore non parcas; cùm tuæ ſanctæ voluntatis adimpletio ſit mihi conſolatio ſuperplena. Videbatur propterea Fratribus, quòd quaſi alterum Job viderent; cui cùm languor creſceret carnis, creſcebat ſimul & vigor mentis. *Ibidem* §. 2.

XXV. O verè Chriſtianiſſimum Virum, qui & vivens Chriſto viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfectâ eſſe ſtuduit imitatione

con-

conformis,& expreſsâ promeruit ſimilitudine decorari. *c.*24. §. 4.

XXVI. Horâ denique ſui tranſitûs propinquante -- omnibus Fratribus tam præſentibus quàm abſentibus in Crucifixi virtute, ac nomine bene ✠ dixit, inſuper & adjecit: **Valete Filii omnes in timore Domini, & permanete in eo ſemper.** Et quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat; felices qui perſeverabunt in his quæ cœperunt. Ego verò ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo. *c.* 14. §. 5.

XXVII. *Franciſcus* igitur ſervus & amicus Altiſſimi, Ordinis Minorum Fratrum Inſtitutor & Dux, paupertatis Profeſſor, patientiæ forma, veritatis Præco, Sanctitatis ſpeculum, & totius evangelicæ perfectionis exemplar, ſupernâ præventus gratiâ, ordinato progreſſu ab infimis pervenit ad ſumma -- Hunc Virum mirabilem, utpote paupertate prædivitem, humilitate ſublimem, mortificatione vividum, ſimplicitate prudentem, omnique morum honeſtate conſpicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. *c.* 15. §. 1.

XXVIII. Novus igitur homo *Franciſcus*, novo & ſtupendo miraculo claruit, cùm ſingulari privilegio retroactis ſæculis non conceſſo inſignitus apparuit, ſacris videlicet ſtigmatibus decoratus, & configuratus in corpore mortis hujus, corpori Crucifixi. De quo quidquid humanâ linguâ dicatur, minus erit laude condigna. *c.* 16. §. 1.

Concludit Doctor Seraphicus vitæ S. P. N. Franciſci ſeriem his verbis: Nos quotidie deſideramus

mus ab ipſo P. N. *Franciſco* audire: Gratia Domini noſtri JESU CHRISTI cum ſpiritu veſtro, Fratres ✠ Amen.

S. P. FRANCISCE,

TUo paterno favori, amori, ac ſolicitudini commendo hanc ex typo prodeuntem S. Paupertatis obſervantiam, ut ex literaria facias operariam, & ex nominali realem, per ſeriam tui ſequelam, à nobis poſthac arctiùs cordi ſumendam. At, quod poſſibilitas noſtra non obtinet, tua nobis interceſſione donetur, ut in voluntaria, Sancta, religioſa paupertate, Angelica caſtitate, perfectaque obedientia, Deo placita humilitate, ac Seraphica charitate Deo perpetim ſerviamus, ac perſeveremus uſque in

FINEM.

✠

COloniæ Agrippinæ lucem aſpexit in comitiis Provincialibus, ibidem habitis in almo Conventu S. Crucis, Annô 1700. diebus 4. 5. & 6. Maji, Ordin. FF. Minorum S. Franciſci Conventualium, ſub gratioſo patrocinio & Præſidio Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini D. *Philippi Horatij Thebarum Archi-Epiſcopi, ac Nuntij Apoſtolici Colonienſis*, &c. Qui ex ſpeciali clementia, & conceſſione S. Sedis poteſtatem pro tunc habebat ampliſſimam derogandi Conſtitutionibus Urbanis, & ſingulis Conſuetudinibus, pro quanto neceſſarium, vel congruum videri poterat ad electionem perſonarum magis zeloſarum, ac ferventium ad S. obſervantiam, in Superiores, & Officiales, in prædicti Ordinis Provincia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
398.606.2

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google